Censura Censuræ &c.

483097

CENSURA CENSURÆ
SEU
CONFUTATIO
SENTENTIÆ DD. DEPUTATORVM
FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS.

Dè Propoſitionibus per illos excerptis è Tomo primo Vitæ SS. Virginis, Hiſpanicâ Linguâ editæ à Venerabili Matre Mariâ à Jeſu Abbatiſſâ Monaſterij immaculatæ Conceptionis Civitatis dè Agreda, & Gallicè redditæ à R. P. Thoma Croſet Recollecto: cui expreſſus Latinè Titulus eſt, *Myſtica Civitas Dei* &c.

CUM OBSERVATIONIBUS ET NOTIS
IN CENSURAM.

Quæ ſub ementito Facultatis Theologiæ Pariſienſis nomine vulgata eſt.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. Pſalmo 36.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
M. DC. XCVII.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CASU venit in manus noſtras exemplar manuſcriptum hujus Opuſculi primâ manu, præcipitique calamo exaratum, quod licet mendis ſcateret, minùſque compoſitum, nec ſatis elaboratum videretur Inſtiterunt tamèn Viri graves & docti, quatenùs utcunque emendatum Typis daretur, utpote relationibus certæ & indubitatæ fidei circa eandem cauſam affine, atque idoneum ad Levandam, quam apud omnes Gentes Cenſura hæc Facultatis Theologiæ Pariſienſis ſparſit offenſionem. Authorem Franciſcanum Opus refert, niſi quis Franciſcani Perſonam hic geſſerit, quod plures ex acriori atque indiligenti, minuſque ſimulato ſtylo conjiciunt. Scripti hujus nævis acceſſere aliqua typorum vitia. Hæc benignè condonet qui legerit: furtivum enim, ac clandeſtinum Opus luci traditur.

ERRATA PRÆFATIONIS.

Pag. 1. *lin.* 6. cœcâ *lege* cæcâ, *Lin.* 11. expreſſum *lege* expreſſam. *Lin.* 13. in illam *lege* ad illam. *Lin.* 18. impietates, colligationes *lege* colligationes impietatis. *Lin.* 21. laplusque *lege* lapſuſque. *Lin.* 26. cœco *lege* cæco.

Pag. 2. *lin.* 13. inquietos *lege* malè ſemper inquietos. *Lin.* 18. *lege* Hominum Deo mancipatorum. *Lin.* 19. niminum *lege* nimium. *Lin.* 20. revera *lege* revera. *Lin.* 27. conſpirationem *lege* condemnationem. *Lin.* 41. indè *lege* indè omnes. *Pag.* 3. *lin.* 6. Pſeudore formatores *lege* Pſeudoreformatores. *Lin.* 7. ut loquuntur, nimium *lege* nimium, ut loquuntur. *Lin.* 13. cœlitus *lege* cælitus. *Lin.* 16. aſſentarent *lege* attentarent. *Pag.* 4. *lin.* 7. ſeptem *lege* quod quidem ſeptem. *Lin.* 32. diſcutionem interdictam *lege* diſcutione interdictum. *Pag.* 5. *Lin.* 12. & 13. obſtrepuere frenduere *lege* obſtrepere frendere. *Lin.* 20. Cætum *lege* Cœtum. *Lin* 36. Iconomacharum *lege* Iconomachorum. *Lin.* 40. Væneunt *lege* Pariſijs væneunt. *Pag.* 6. *lin.* 9. intervalis *lege* intervallis. *Lin.* 10. mutet *lege* mutat. *Lin.* 14. ſævit *lege* ſævijt. *Lin.* 15. indulgeat *lege* indulget. *Lin.* 21. Cætuſque *lege* Cœtuſque. *Lin.* 29. à quibus *lege* à quo. *Lin.* 33. Senteniam *lege* Sententiam. *Lin.* 36. onimadvertens *lege* animadvertens. *Pag.* 7. *Lin.* 32. res *lege* rem. *Lin.* 41. ſpecie *lege* ſpe. *Pag.* 8. *Lin.* 18. *mirabiles* lege *miſerabiles*. *Lin.* 37. ſœpius *lege* ſæpius. *Pag.* 9. *lin.* 20. tamen *lege* tandem. *Pag.* 10. *lin.* 5. tamen *lege* tandem. *Lin.* 9. maleſtias *lege* moleſtias. *Lin.* 7. expanderentur *lege* expenderentur. *Lin.* 17. ſexaginta *lege* ſexaginta ſeptem. *Lin.* 27. ſteterunt *lege* ſiſteterunt. *Lin.* 28. objecerunt *lege* objecerant. *Lin.* 33. plæraſque *lege* pleraſque. *Lin. eâd.* in determinatis *lege* indeterminatis. *Pag.* 11. *Lin.* 19. *dele*, & adornatâ, *Lin.* 20. *lege* Pariſienſis adornata. *Lin.* 31. Præfactionem *lege* Præfationem. *Pag.* 12. *lin.* 14. præpoperè *lege* præproperè.

PRÆFATIO,

REI GESTÆ SERIEM PANDENS.

DIVINA inſtitutum eſt Providentiâ, ut ibi Antidota, ubi Venena, & undè Mala, indè plerùmquè Remedia oriantur. Mirum proindè Nemini debet videri, quod Cenſura, quæ ex Facultate Theologiæ Pariſienſi ad piorum Animorum offenſionem, Deiparæ Virginis cultus excidium, & famæ Venerabilis Matris Mariæ à Jeſu de Agreda diſpendium, cœcâ Factione prodijt, per alteram Cenſuram, ab eâdem Facultate meliùs emanantem, ac juxta ſanioris, imò, & majoris Doctorum partis Judicium, ſaltèm, ut plurimùm infrà expreſſum, reſcindatur, atque Damnetur. Non potuit ſanè prima illa Cenſura abſque graviori celeberrimæ hujus Facultatis Dedecore incaſtigata, irreprehenſaque ſub illius nomine dimitti, quaſi in illam Doctores conſpirarint unanimes; cùm præſertim nemo non expectet fore, ut omnium Gentium Theologi ora, calamoſque adverſùs illam ſolvant: cùmque nullus æqui, rectique Arbiter idoneus illam, Cenſoriâ non tantùm virgulâ, ſed etiam omni dignam Anathemate, non ſit judicaturus.

Ego quidem ſilentio premere vellem Audaciam, impietates, colligationes, fraudes, calumnias, ſollicitationes, minas, perſecutiones, vim illatam, oppreſſam Libertatem, Jura violata, conculcatas Leges, alioſque Factionis impotentis abuſus, lapſuſque enormes. Verum, ſi tacerem, hæc vel ipſi lapides loquerentur, meque ſilentem unà cum nocentibus accuſarent. Et certè totius Religionis Chriſtianæ intereſt, ut ſaltem illi timeant Iudicium Hominum, qui tremenda Dei Judicia ſatis non verentur, & ut Sanctiſſima Facultas, à cujus Oraculis prope-modum pendent Fides, Pietasque in Gallijs, huc illucque in tranſverſum non agatur cœco Factionis impetu, neque terminos à Patribus poſitos tranſgrediatur.

Nominibus tamen parcam; nec alia revelabo vitia, quàm quæ Cenſuram inficiunt; niſi fortè contingat rerum dicendarum notiſſimam veritatem, atque ſinceritatem hujus Relationis, in altercationes verti, atque impugnari: tunc enim compellet neceſſitas, ad omnia ex nomine, loco, teſtibus, dictis, factis, & ſcriptis ad propoſitum pertinentibus, diſtinguenda, atque demonſtranda. En itaquè brevem totius Rei geſtæ Seriem.

F. Cùm primùm infauſtam prodijt Pariſijs in lucem Tomus primus Vitæ SS. Virginis Deiparæ, ex Hiſpanicâ Linguâ in Gallicam editus Maſſiliæ; Ille ſtilo, ut verè eſt, humili, minuſque cauto calamo ſcriptus, ac proinde elegantiſſimo, omnibuſque numeris abſoluto Authoris Exemplari longè diſpar; ijs omnibus inſuper nudatus, quæ Revelationibus in illo contentis fidem poſſunt, & reverentiam conciliare, Prologo ſcilicet illo verè galeato, doctiſſimis Notis, vitæ Authoris deſcriptione, graviſſimiſque Approbationibus, quæ in Exemplaribus Matritenſi, & Vliſſiponenſi offerunt ſeſe, omnemque antevertunt difficultatem. Liber inquam hujuſmodi primo conſpectu minimè viſus eſt dignus, in quem à Viris gravibus, & doctis animadverteretur, ſed magis, qui ſorti ſuæ dimitteretur, utpotè qui Gallorum palato ſapere poſſe non credebatur. Conquiſitis tamen per Viros circa Religionem inquietos Exemplaribus, & explorato per litteras Cauſæ Libri hujus in Hiſpaniâ, & Romæ ſtatu, vix cogitari poteſt, quanta exarſerit adverſùs illum invidia, quàmque vehemens Factio concitata. De ſalute Imperij Gallici, aut de totâ Eccleſiâ agi nemo non credidiſſet.

Ne cogites igitur aliquod tantùm Deo mancipatorum Inſtitutum Hominum, quos nimirum Doctrinæ S. Thomæ Aquinatis ſtudium commovere hunc in Librum poterat, quanquam reverà Angelici hujus Doctoris Authoritati per illum nullatenùs derogetur. Iſtos, ſi unum ſuis minimè probatum excipias, continuit ipſa tempeſtas, cùm ſcilicet furere illam obſervaverunt, non tam adverſùs pijſſimam Mariam à Jeſu de Agreda, quàm adverſùs Mariam Matrem Jeſu ſanctiſſimam. Idemq; contigit multis Viris probis, & rectis, adverſus Opus iſtud Hiſpanicum, ex incompoſitâ verſione gallicâ præoccupatis.

Verùm conſpiravit inprimis in conſpirationem hujus Operis nimis nunc frequens Hominum litteratorum Genus, in Socinianam Hypocriſim effuſum, cui reverà illa tantum ſapit Religio, quam Natura omnes Homines docuit (quam nec illi ſatis reverentur) cui proindè omne genus Revelationum prorſùs inviſum eſt: quæ quidem ſuſpicio, & acculatio nova, atq; fictitia cenſeri non poteſt (quod Utinam ita eſſet) cùm ipſe D. Feu. Paſtor S. Gervaſij Pariſijs in ſuo de *SS.* Trin. Tract. & quotquot, vel adverſus Socinianos ex profeſſo, vel de principijs Religionis recentius ſcripſerunt, illam ipſam ingerant, atque deplorent.

His ultrò adjunxerunt ſe alterius Ingenij Viri, qui zelum ſe putant habere Legis; Exiſtimantque ſe obſequium Deo præſtare, ſi à Religione, & Pietate illud omne reſcindant, quod ſibi de Eſſentiâ Fidei, & de neceſſitate *Salutis* non videtur. Quo periculoſo, & Hæreticis trito Syſtemate quòquòverſùm abutuntur, reducendorum Hæreticorum ſpecie; quanquàm nullum hac agendi ratione converti, magiſque indè offendi Experientia probet. Exprobrant enim Eccleſiæ Catholicæ, quòd quandò Patres ſui poſtularunt abuſuum emendationem, ne diſcederent, Reſtitit

illa, pertinaciter Usus suos, ac Instituta defendens : quandò verò illorum Posteri, aut ultrò, aut coacti in ejusdem Ecclesiæ sinum redierunt in Galliâ, ubi nè mussitant quidem, Doctores ipsi Catholici malè sibi constantes, adversùs eosdem, ut ajunt, Abusus insurgunt ; & quod in Patriarchis ipsorum Damnarunt, Reformatorum nomen sibi arrogant.

Itaque Pseudoreformatores isti opportunam arbitrati sunt, nactos se esse ex hoc Libro occasionem deprimendi, ut loquuntur, nimium Fidelium erga Deiparam Virginem Studium ; Sacramentum quoque solemne temerandi, quo Doctores Parisienses defendendo Conceptionis Immaculatæ Dogmati obstringuntur, quod quidèm non grave tantum, & iniquum, sed etiam temerarium ac hæreticum Magister, & quondam Antesignanus ipsorum D. de Launoy edito Libello evincere conatus est : Sanctorum insuper, Animarumque cœlitùs illustratarum Vitam, Doctrinam, Revelationes, ac Miracula in fallaciæ, atque Superstitionis suspicionem trahendi, atque Religiosos inprimis sibi invisos, tanquàm talium mercium Negotiatores traducendi. Quæ ut, tutiùs assentarent ; per Duces, ac Patronos suos reverà potentissimos nihil non egerunt, ad præocupandam adversùs Librum, & Authorem, Approbatores, atque Defensores illius, sive Curiam Regiam, sive Curiam Judiciariam, sive Curiam Ecclesiasticam. Imò & ipsam Sedem Apostolicam simulatis obsequijs, falsisque relationibus circumvenire voluerunt : sed frustra.

Liber sivè Tomus primus Operis gallicè redditi (nondum enim alij Tomi excusi sunt) ad Comitia Sorbonica die 2. Maij Anni Vertentis 1696. delatus est per Syndicum, qui Orator, Actorque Facultatis est, & Factioni descriptæ devotissimus. Quatuor Doctores delegati sunt, cùm sexdecim soleant ad res minoris momenti designari : Timuit enim Factio, ne inter plures aliquis ipsi refragaretur. Hæc nondum satis nota, quales optavit delegatos, tales facilè obtinuit, nesciente scilicet Multitudine, quid causæ ageretur. Conclamatum ex Franciscanis nullum assumendum Censorem, quia illorum interesse videbatur ; reclamatum ab alijs, nec ex Dominicanis ullum eligendum : Attamen contra majorem Suffragiorum numerum selectus est ex istis unus, non tàm S. Thomæ, quàm hujus Factionis studiosus, quem, aliosque suis coloribus hic exprimere non necesse est, cùm ipsi suum animum in hâc Censurâ nimis prodiderint.

Mensibus Majo & Junio construendæ Censuræ locatis, saltem specie tenùs, hanc enim jamdiù à Patronis Factionis paratam plerique asserunt : die 2. Julij obtulerunt Delegati Comitijs Sorbonicis Indicem sexaginta Propositionum in novemdecim Articulos distributarum, affixâ unicuique articulo Sententiâ suâ censoriâ, ut hæc accedente Doctorum Consensu, tanquam Facultatis Censura promulgaretur. Quem Consensum unanimem adeò sibi pollicebantur, ut Indicem prædictum cum Sententiâ suâ typis mandaverint, Cõsuetudine licet, Doctorumque majori numerô reluctante. Eapropter Index ille, cujus insuper Propositiones omnes, vel malâ fide ex-

cerptæ, vel diverso à genuino locorum sensu, confixæ, atque damnatæ sunt, tanquàm Libellus famosus mulctâ honorariâ dignus, à Probis omnibus repudiatus est.

Quantùm verò temporis concessum putas Facultati, ad Suffragia de Libro sibi subjecto, & de Libello censorio subministrato, palàm ferenda? Tredecim Dies. O Tardum igitur, obtusumque Tribunal Inquisitionis Hispaniarum, septem Annos in approbando Libro detrivit, cui damnando cum teterrimis notis tredecim Facultati Parisiensi dies sufficiunt! O Imperita, segnisque Romana Curia, quæ à tam multo tempore Libri istius causam versat, nec Sententiam tulit! Postulavit equidem major Doctorum numerus saltem Mensem integrum, præsertim cum duo Menses dati fuissent Delegatis; sed contra decreti sunt, ac definiti tredecim Dies.

At quomodò inquies non steterunt hoc in Consessu Decreta penès majorem numerum, à quo tamen Deliberationum eventus pendere debet, præsertim in Facultate, ubi nullus alteri nisi solâ Antiquitate præstat. Breviter nunc dicam, ne sœpiùs idem repetere cogar; Idem enim in sequentibus Cœtibus contigit. Illos Factio nacta est Patronos, sub quibus se omnia posse confidit; Ministros habet insuper ad audendum projectos, eosque clamosissimos. Si de summâ Religionis actum fuisset, fortiter, ut opinor, restitissent quotquot sunt in Facultate Viri probi, pijque; cùm verò nec Liber, nec Author satis notus esset, cesserunt impetui, & audaciæ Factionis.

Attamen hoc in primo Congressu R. P. Meron Franciscanus Doctor, Morum gravitate, doctarum Linguarum peritiâ, Philosophiæ, Matheseis, Theologiæque altâ Erudationé scriptis probatâ conspicuus, omni, quâ decebat Modestiâ suggessit sacro, ut vocant, Sapientissimorum Patrum Cœtui, Sedem Apostolicam jamdiu de hoc Libro cognovisse, & ab Innocentio XII. Clavum Ecclesiæ nunc fæliciter tenente institutum esse Tribunal, tam pro hujus Libri examine, quàm pro Authoris Beatas inter Mentes relatione solemni; Supremam verò hujus Sedis Dignitatem, Inferiorumve Tribunalium Reverentiam exigere, ut Judicium illius expectetur, maximè cum agatur de Revelationibus, Sanctitate, & Miraculis, pluribus Testimonijs, nec non multâ Famâ jam commendatis: Talium causarum Discussionem interdictam esse Tribunalibus ordinarijs sine speciali S. Sedis delegatione, ac proindè multò magis Facultatibus Theologicis, nullam Juridictionem habentibus, sed arbitrarium, & consultivum tantùm Judicium: Legi posse eâ de re Decreta Leonis X. in Concilio Lateranensi V. & Urbani VIII. Anni 1642. in quibus habetur, quòd, *postquàm Sedes Apostolica apposuerit manum in causis hujusmodi, non poterit Ordinarius in his amplius se intromittere.* Rectum prætereâ, tutumque in conscientiâ Judicium ferri non posse de Doctrinâ, sub titulo probabilium revelationum evulgatâ, sine sufficienti Exemplarium vernaculâ Authoris linguâ editorum, imò & Autographorum ipsorum notitiâ, ne oscitantis interdum, & in considerantis Exscriptoris, aut Interpretis lapsus, in Authoris infamiam vertantur: Explo-

randa

randa quoquè esse multa alia, ingenium scilicet, Vitamque Authoris, Directorum fidem, Conviventium testimonia, aliaque signa, quibus juxta SS. Patres, & Authores modernos graviſſimos, ipsumque Gersonium Facultatis Parisiensis Lumen fulgentissimum, veræ Revelationes a falsis secernuntur: Horum omnium Inquisitiones authenticas coram S. Sede Apostolicâ positas esse; cùm ècontrà omnia ad perfectum judicium instituendum in sacrâ Facultate desiderentur: Facultatem proinde Parisiensem, quæ sub Nomine, Authoritate, & Gratiâ Sedis Apostolicæ floruit semper, istud illi Obsequium nunc debere, ut Judicium Causæ hujus integrum ipsi dimittat. His alijsque Rationibus adductis revocati fuissent Sapientes Viri, saltem ad maturam Deliberationem. Non sic Factiosi nostri, non sic, quamvis *Sapientissimi*, vocitentur, sed ad hæc magis ac magis obstrepuere, dentibusque frenduere. Cum autem horum clamoribus, & minis obrueretur prædictus P. Meron, apellavit Summum Pontificem: quo audito, quasi blaphemasset, exhorruerunt, omnique Dignum illum exitio vociferati sunt.

Immodicus Factionis æstus plures Doctores excitavit, ut Eruditissimo, Religiosissimoque Viro adstipularentur. Illustrissimus Abbas D. d'Urbec, Vir primâ Nobilitate, omnique Eruditionis, atque Virtutis Genere præcellens, ptomptâ animosâque Facundiá suá magnum momentis supra exertis pondus, roburque addidit, monuitque Cætum non minorem deberi Reverentiam Summo Pontifici, quàm quæ Archiepiscopo Parisiensi solet à Facultate exhiberi; quæ talis est, quoad propositum, ut si Judicium aliquod ille inierit, istud Censurá ullá Facultas antevertere minimè præsumat. Quod & nuper in causâ Librorum D. Dupin ad se delatorum demonstravit, statimatque condemnationem eorum sibi Archipræsulem assumpsisse compertum habuit; Idemque potiori Jure Obsequium S. Sedi Apostolicæ, cujus Nomine Laureâ Doctorali omnes insigniti sunt, præstandum esse.

Exposuerunt alij indignum esse sacrâ Facultate, ipsique in crimen vertendum, quod efferveſcat illa, sæviatque in Librum, cujus hoc unum notatur ab Osoribus vitium, quod Deiparæ Virginis Gloriam ad supremos piarum Opinonum apices, & ad illud quod potest humana mens pertingere Fastigium prosequatur; cùm nihil nisi silentium illa jamdiu egerit circa Libros recentes nimium multos, illosque non exoticos, sed domesticos, quibus ad Fidei, atque Pietatis subversionem, Arij, Nestorij, Pelagianorum, Prædestinatianorum, Iconomacharum, Vigilantij, Photij, Baij, & Janseníj innovantur errores, Ipsaque inprimis erga Reginam Angelorum & Hominum Pietas impetitur (nihil namque intentatum, inviolatum que patitur hujus Ævi impietas) quorum plerique, licèt in Indicem Librorum prohibitorum Romæ fuerint relati, publicè tamen & impunè væneunt.

Protulerunt Nonnulli novam, sudantemque Libri D. Baillet adversus SS. Virginis Cultum directi, & à S. Sede Apostolicâ jam damnati Edi-

ditionem minimè emendatam ; poſtulantes, ut primùm Cenſuræ illius vacaret S. Facultas. Alij conteſtati ſunt S. Facultatem plures Libros, Theſes, atque Propoſitiones, SS. Virginis cultui, cujus zelantiſſima ſemper fuit, adverſantes condemnaſſe, Nullam verò Cenſuram adverſus Librum quemlibet, aut Propoſitionem quoquòmodò vergentem ad ejuſdem Deiperæ Gloriam ipſi unquam excidiſſe. Cavendum autem maximè, nè inſtabilitatis illa incuſetur, illudque Eminentiſſimi, Doctiſſimique Cardinalis Perronij dictum in Conventu Bleſenſi poſt obitum Henrici quarti refricetur, quòd nempe ſingulis 25. Annorum intervalis Facultas Pariſienſis Doctrinam mutet, prout ſcilicet Patronorum ipſius mutatur Genium : quod convicium illa minimè poſſet à ſe removere, ſi poſtquam ſub Cardinalibus Richeleo, & Mazarino infallibilitati Romani Pontificis devota fuit, & illi ipſi Annis proximè elapſis adverſa extitit ; poſt quam pariter ſub Archiepiſcopo Pariſ. ultimò defuncto, in Janſenianos ſævit ; illis autem nunc ſub novis Patronis indulgeat : ita & antiquum ſuum pro SS. Virginis Honore zelum, in faſtidium nunc, odiumque convertat, Laudeſque in ejus Gloriam liberaliter effuſas, avaro, amaroque animo retractet.

Alij alia ſubminiſtrarunt Argumenta validiſſima ad ſuperſedendum Cenſurâ : quæ audientes Deputati cum Aſſeclis diſſecabantur cordibus ſuis. Vicerunt tamen ipſi non numero, ſed impetu ; non rationibus, ſed clamoribus : Cætuſque ad Suffragia ferenda in diem 14. ejuſdem Menſis indictus eſt. Poſtulaverunt ante ſolutionem quamplures, ut ſi Sententia de Libro hoc ab omnibus ferenda erat, copia Exemplarium Libri fieret omnibus, ut judicaret unuſquiſque, an Propoſitiones fideliter excerptæ, atque genuino Authoris ſenſu à Deputatis prædamnatæ eſſent. Quâ petitione quid æquum magis, atque ad Sententiam rectam ferendam magis neceſſarium ? Verùm hæc petitio rejecta eſt ; Et Magiſtratus, agente Factione, Exemplaria ex Officinis Librariorum aufferri, & recondita teneri ante omnem adverſùs Librum Sententiam juſſit, à quibus nec pecuniâ obtineri potuerunt ; neq; datum eſt, ut duo ſaltem Exemplaria apud Tabularium Facultatis reponerentur, ut ad illa poſſent Doctores dubia emergentia exigere. Unde certò eventurum ſperabant Deputati, quod Doctores omnes vel inviti in ipſorum Sententiam clauſis oculis declinarent. Quod Vitium hujus doctrinalis Judicij, quod quidem, ut liberrimum, ita & oculatiſſimum eſſe debuit, ſufficeret ad omnem ipſi derogandam Authoritatem.

Interìm verò Factio periclitari conſilium ſuum animadvertens, aliquô Exemplô deterrendos eos cenſuit, qui contra inſurgere vellent. Propterèà circumvenit illa Magiſtratum ; Illicò accerſitur R. P. Meron, proboſis ultrà quàm referre decet, verbis excipitur, moxque non è Facultatis Confeſſibus tantùm, ſed & ex Civitate turpiſſimè ejicitur : Nec tamen id ſatis eſſe videtur illis. D. d'Urbec, præ cæteris, propter liberam, facilemque Eloquentiam, multamque Authoritatem Syndico, alijſque Conjuratis, formidandus, non graves tantùm ab eodem Magiſtratu objurgationes, ſed

etiam ſubreptam aliundè, ne Comitijs Sorbonicis deinceps interſit, prohibitionem patitur. Minæ alijs intentantur, Sollicitantur alij promiſſis, & qui ad dicendum in favorem Venerabilis Matris de Agreda magis inſtructi, atque parati creduntur, à Cœtibus & à ferendo ſuffragio abducuntur; talium ſcilicèt Virorum interceſſione, quorum preces Præcepta, & monita Mandata ſunt. Sic R. P. Fraſſen Franciſcanus, & R. P. Morel, Auguſtianus, Viri multæ Authoritatis, & gratiæ apud Doctores, quibus cauſa hujus Libri in primis explorata, & plana erat, à Comitijs ſecedere coguntur, ne vel in Ordines ſuos ultio cadat. Ita quoque RR. PP. Carmelitæ, ità Sæculares Doctores benè multi.

Nonnulli etiam videntes ſtructas undique libertati inſidias, ſponte recedunt indignabundi. Quorum Suffragia cuilibet interroganti, vel audire volenti, per illos ipſos declarata, ijs accenſeri profectò debent, quæ palàm dicta ſunt coram Cœtu Facultatis. Judicium enim doctrinale ijſdem conditionibus non adſtringitur, ac Iudicium forenſe; nec illis auferri potuit jus Sententiæ dicendæ, quibus adeſſe Comitijs perperàm interdictum eſt. Porro viderint, qui ſic interceſſerunt ad impedienda Suffragia, quorum aliqui cordati ſunt, & timorati, ſed decepti, atque præocupati, quâ conſcientiâ, quâ hominum exiſtimatione, tam turpiter, tamque iniquè in hoc negotium interponere ſe potuerint.

Adeò denique conſtat de vi illatâ, & de tentatâ libertate; ut qui Priores pro Libro dixerunt, nominatim Clariſſimi DD. Carron, & Chevillier ætate venerandâ, Doctrinæ profunditate, ac ſingulari Pietatis & Veritatis zelo præſtantes, coram Cœtu dicendo Sententiam conteſtati ſint, ſe Deum magis quàm Homines vereri, ſeque ad perſecutiones quaslibet pro tuendâ Veritate paratos eſſe.

Intereà tantum abeſt, ut hac violentâ agendi ratione compreſſum fuerit diſſidium, Cauſaque ſit ſunâ, aut alterâ ſeſſione finita, ut Factioſi crediderant, quinimò inde magis excitati ſunt Piorum, Proborumque Animi, vixque 34. Seſſionibus res potuit abſolui.

Sciſſa eſt itaque in duas partes Facultas; Agrediſtarum unam, Antigrediſtarum alteram primùm dixerunt. Cùm verò res ipſius Deiparæ Virginis quàm maximè agi innotuit, alij Mariani, alijque Antimariani vocitati ſunt. Ex Marianorum parte ſtabant, Doctores omnes, qui ſinceram cum Eruditione Pietatem conjunxerunt: Ex alterâ parte inſtabant operi, Homines, quos, ſi paucos excipias, Scientia inflavit, necdum charitas ædificavit: Illinc Seniores ut plurimum, iſthinc ut plurimum Juniores. Pars illa ex Viris conſtabat, qui certè nec ſpe, nec metu, nec aſſentatione, nec ambitu ducebantur. Pars altera ex hominibus, Tempori & Fortunæ ſervientibus, undique & quomodocumque etiam per frequentes, lautaſque epulas quæſitis, ſpecie inprimis ampliſſimi Patrocinij conductis, atque ad Beneficia & Dignitates inhiantibus. Tantum autem in hâc cauſâ intereſſe exiſtimo diſcriminis inter iſtorum, ac illorum Sententiam, quantùm inter Mores, & vitam. Nec immeritò quivis ità cogitabit.

Enimverò ex Marianorum parte, quidquid Eruditionis, Eloquentiæ & Pietatis desiderari potest, uberrimè effusum est. Sacra Biblia, Conciliorum Volumina, SS. Patrum, & Authorum omnium Ecclesiasticorum Scripta in defensionem Propositionum malè notatarum exhausta sunt; sed ita ut, cùm Doctores antiquiores omnia dixisse viderentur, succedentes tamen alij ad ultimum usque, nova proferrent.

Qui ex alterâ parte nomen Factioni dederant, cum facundiâ non essent impares, sibi quoque copiam dicendi fecerunt. Sed unde, Proh pudor! Ex Magdeburgensium Centurijs, ex Clavini institutionibus, ex Kemnitii, Molinei, Claudii scriptis, alijsque Hæterodoxorum Apothecis. Effutiebant scilicet temeritate non ferendâ Cavillationes, Irrisiones, Sicophantias, ac propemodùm hæreticorum blasphemias, adversùs Revelationes, ac Miracula, & contra pias probatasque Opiniones de Beatâ Virgine, variasque illam colendi rationes; contendentes, concludendam esse Fidelium erga illam Pietatem, intra terminos Evangelij, ubi SS. Maria, inquiebant, Mulier, Materque Jesu dicitur, nec quid amplius.

Plures pro Sententiâ suâ dicentes, ausi sunt vocare objectos sibi ab adversâ parte Patres græcos, qui de SS. Virgine magnificè scripserunt, *Mirabiles græculos*, & inprimis S. Joannem Damascenum *delirum Theologiæ Deturpatorem*, SS. verò Bernardum, Anselmum, Bonaventuram, Thomam alioque his similes, Viros pios, sed incautos; qui superstitioscè, ubi piè: & miserè, ubi de SS. Virgine scripserunt. Dogma insuper Conceptionis Immaculatæ, quod ex Decreto, atque Sacramento Facultatis velut proximè ad fidem accedens defenditur, tanquàm Opinionem dubiam, nutantem, & prorsùs inutilem traduxerunt, satis esse dicentes, quòd Sanctificatio ejus in confesso sit, nec nostrum esse nosse tempora, vel momenta illius.

Quod verò Venerabilem Matrem de Agreda spectat, vix credent, qui non audierunt, quot convitijs, calumnijsque fama illius violata sit. Illam tanquàm impudicam, sacrilegam, blasphemam, idololattam, pelagianam, lutheranam, quietistam, Deo perduellem, sive dicendo coram Cœtu, sive per Libellos typis excusos infamarunt. Quibus ducti sint rationibus infra videbis, nec sine indignatione feres. Quandò verò talia infanda magno prædicabantur animo, Factio universa plaudebat, & Syndicus inprimis: qui tamen tenetur ex Officio intercedere, quoties aliquid contra Decreta Facultatis, aut adversùs Conciliorum, Summorum Pontificum, & SS. Patrum Authoritatem profertur. Nullus verò ex Marianis Doctoribus Sententiam suam aperire potuit; quin eum dicentem sæpius interpellarint Deputati, & interloquendum vexaverint: Sui impotentes ad rugitum usque tumultuosè Vociferabantur, cùm viderent non jam Librum, sed suam de Libro Sententiam districtissimæ subjici Censuræ.

Litem quoque, & actionem intenderunt Viris optimis DD. Feurier, & Mortier, quos honoris causâ nomino. Illi quidem, quia demonstravit Cœtui, doctrinam SS. Virginis contentam in Libro Vener. Matris de Agreda,

eadem

eâdem prorsùs ratione exagitari, atque damnari à Factiosis, quâ Christi Doctrina proscripta fuit â Scribis,& Pharisæis. Hæc fidelitèr excepta, inquiebat, irreprehensibilis erat; quid egerunt Doctores Legis? addendo, detrahendo,alio sensu, alijsque verbis referendo hanc Anathemati subjecerunt. v. g. Christus dixerat de Templo Corporis sui: *solvite Templum hoc, & post triduum reædificabo illud*; hæc ut in certum exitium ejus verterent, aliter referenda esse judicarunt: *audivimus*, inquiunt, *eum dicentem, ego dissoluam Templum hoc manufactum,& per triduum aliud non manufactum ædificabo*;similiter interroganti Judici, *tu es Rex Iudæorum*? Christus responderat,*tu dicis*: illi verò dixerunt Pilato,*Scribe,quia ipse dixit, Rex sum Indæorum*. Idem autem fecerunt Deputati nostri, inquiebat, detruncarunt, mutilarunt, confixerunt ipsi ad libitum Propositiones, quas damnarent, & quibus notam infamiæ inurerent.

Alteri verò actio intenta est, quia Causam sic definierat. Revelationes scilicet Libri ad S. Sedem Apostolicam referendas, ut de ijs judicaret; quòd verò Doctrinam spectabat, illam esse integram, & sanam: quantùm autem ad Sententiam Deputatorum, illam esse prorsùs scandalosam, & Facultati injuriosam. Itaque Syndicus istos tanquàm reos detulit per libellum ad Judices. Verum monuit Magistratum Rex verè Christianissimus, ac Pietatis, Jurisque amantissimus, qui tamen non nihil de ausu, impetuque Factionis audierat, nè huic causæ se immisceret amplius. Quapropièr ad alia confugit penè desperata Factio. Cœtus scilicet in dies singulos indixit, & ad quatuor horas integras protraxit ad fatigandos Doctores, nè tàm frequentes Cœtibus adessent; nec non ad prævertendum Sedis Apostolicæ Judicium, quod imminere suspicabatur: & quia se numero longè impares præsentiebant Factiosi, advocaverunt è Vicis, Urbibusque vicinis, agentibus Patronis suis, Doctores multos vix notos, qui palàm confitentes, se Librum non legisse, se descendere tamen in Sententiam Deputatorum, professi sunt. Quanquàm antiqua Facultatis Lex vetet, nè qui Propositioni non interfuerunt, Conclusioni suffragentur.

Prætereà cùm videret Syndicus omnes ferè Doctores primæ ætatis majoremque Doctorum mediæ ætatis numerum, Sententiam ipsius, & Deputatorum non tantùm non approbasse, sed falsitatis, temeritatis, & absurditatis in pluribus Articulis tàm manifestè convicisse; ut multi ex illis ipsis, qui Factioni dederant nomen, Articulorum illorum rerractationi se non posse refragari dicerent: atque etiam ex quatuor Deputatis unus recantaret,& ad quatuor ad summum Articulos, Censuram restringendam esse pronutiaret. Subdolè dixit & ipse coram Cœtu, susceptì ipsum, alioque pœnitere; pejorem rei speciem statim visam esse, quàm res ipsa nunc deprehenderetur: interesse tamen quàm maximè Facultatis, ne res infecta maneret, quæ Gentium omnium ludibrio cederet, si post Comitia tàm frequentia, tantòque æstu habita, Sententia Deputatorum in auras abiret: se verò cum Deputatis tales cautiones, atque correctiones spontè adhibiturum, quibus

satisfactum omnibus foret. Speciosâ hâc pollicitatione delusi sunt Doctores ætatis infimæ, quos licèt modis omnibus ambirent, urgerentque Deputati, non poterant tamen eos omninò in Opinionem suam contra apertam veritatem cogere.

Causa tamen quantùm ad Suffragia die 17. Septembris Anni vertentis ad exitum per rixas, altercationes, malestiasque multas perducta est. Supererat, ut Suffragia expanderentur, & numerarentur. Cum verò Syndicus meritò suspectus esset, intercesserunt Doctores multi; quatenùs juxta Facultatis Leges duo delegati, quos *Conscriptores* vocant, excepta per Tabularium, sive Scribam Suffragia perlustrarent unà cum Syndico, & juxta majorem numerum edicerent, ac definirent. Postulationi noluit ille acquiescere: sed solus paululùm, à Consessu secedens cum Scribâ, in instanti ferè, in ictu oculi numeravit, distinxitque Suffragia, quibus discernendis, & conciliandis dies integra non sufficisset; Neque enim ipsa Factiosorum, ipsisque adhærentium testimonia convenientia erant: neque alterius Partis conclusiones, & placita. His tamen ita pro libito collectis Syndicus retulit sacræ Facultati sexaginta Doctores stetisse adversùs suam, atque Deputatorum Sententiam; sed octoginta quinque sibi adstipulatos esse; ac proinde Sententiam suam, utpotè pluribus Suffragijs vincentem, firmam, ratamque minere.

*Re*clamarunt plerique falsum esse, ac fraudulentum, quod referebat; & postularunt Suffragia palam dicta, sed clam scripta, publicè recitari. Renuit iterùm Syndicus, Cœtusque clamoribus, jurgijsque solutus est; ut finis principio, exitusque actionum seriei responderet.

Nulla amplius erat Factionẽ ad primigenia æquitatis Jura reducendi spes: ac proindè clarissimi, & de Religione atque Pietate meritissimi DD. Dumas Supremæ Curiæ Senator, & Dusleau Doctores steterunt se ante duos Tabularios Apostolicos, quos Notarios vocant, quamque jam vivâ voce objecerunt in ultimis Comitijs intercessionem adversùs Censuram, hanc litteris authenticis mandarunt: cujus Exemplar signis suis, ac testium, atque Tabulâriorum consignatum, Syndico Facultatis die 29. Septembris per eòsdem Tabularios denunciarunt.

Causas intercessionis plærasque attigi. Potissima est, quod Syndicus arrogavit Deputatis octoginta quinque Suffragia cùm nè viginti quidèm Sententiam illorum, prout jacet in Indice probaverint. Alij quidèm ad summùm viginti, eidem suffragati sunt cum cautionibus, & correctionibus in determinatis, quas speciosè spoponderat in publicum Syndicus, ut Juniores Doctores rem totam arbitrio ipsius, & Deputatorum dimitterent. Alij insuper non supra viginti in Deputatorum Censurã licèt propendentes, in diversas tamen abjerunt Sententias; sive quantùm ad numerum Articulorum notandorum, quorum hi plures, illi pauciores admittebant: sive quantùm ad uniuscujusque Articuli Notas, quas quilibet pro arbitratu suo temperabat. Verùm hos omnes indiscriminatim velut Sententiæ suæ assertores,

Syndicus ſibi prorſùs adſcribere non debuit. Quod etſi concederetur, *Sententia* ipſius, ac Deputatorum nondùm prævaleret. Deinde in ſuppoſititio octoginta quinque Suffragiorum numero, Suffragia Syndici, Decani, & quatuor Duputatorum continentur; cùm illi de *Sententiâ* ſuâ Sententiam dicere non potuerint: illorum quoque, qui publicè, & coram Cœtu Librum ſe non legiſſe, nec vidiſſe quidèm, ſunt confeſſi, Suffragia non admittenda eſſe contendunt Interceſſores. Objiciuntque inſuper, D. Fevrier Jure ſuffragij abſque ullo, aut Facultatis, aut Senatûs Decreto orbatum eſſe.

Adeò denique certum, & manifeſtum aſſerunt, majorem numerum contra Deputatos ſtetiſſe, ut Syndicus veritatis ſibi adverſæ conſcius, nec Conſcriptores in examine Suffragiorum Conſortes, nec eorundem Suffragiorum lectionem ferre voluerit. Huic agendi rationi ſi locus eſt, poterunt Libri quantumuis Catholici ſub nomine Facultatis Pariſienſis Cenſurâ notari; cùm non paucos illa ſtuſtineat dolens, *qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*; quoſque timor Regis, magis quàm Dei continet, ne errores ſuos evomant, atque diffundant.

Kalendis Octobris Anni vertentis 1696. novum Libellum ſub Titulo Cenſuræ ſacræ Facultatis Pariſ.* detulit Syndicus ad Comitia Sorbonica, munitum longâ, & adornatâ, Præfatione, in honorem SS. Virginis contra Factionis ingenium, inſtante Illuſtriſſimô Archiepiſcopô Pariſienſi; Deputatorum verò Sententiam continentem, ſed mutatis multis, & cum novis Propoſitionibus, atque Notis, Facultatis Judicio nullatenùs propoſitis, atque ſubjectis. Interceſſionem ſuam inſtauravit D. Dufleau. Quâ rurſùs contemptâ, Syndicus juſſit Libellum legi per Scribam Facultatis; eôque perlectô, quaſi alterius Tribunalis, & Supremi Senatûs Decretum quoddam irrefragabile fuiſſet, nullatenùs quæſitum eſt à Doctoribus, an placeret, necnè, ut in omnibus, non Facultatis tantùm, ſed etiam Conciliorum Eccleſiæ Decretis fieri ſolet: ſed ſtatim ad alterius negotij propoſitionem tranſitum eſt. Reclamarunt multi, inſolens, inauditum, ac portento ſimile eſſe, quòd Cenſura hujuſmodi ſub nomine Facultatis circunferatur, & deliberandum eſſe circa Præfactionem, nec non de Articulis, & Notis recentèr, & præter Facultatis notitiam adjectis. Ad hæc nihil reſpondit Syndicus: ſed ſurgentibus cum tumultu Factioſis, Comitia ſubitò diſſoluit.

Jam verò utrum Cenſura iſta ſit à S. Facultate Pariſienſi judicet Chriſtianus Orbis. Cujus autem nomine hæc vulgari debeat, vix definiri poteſt. Enimverò ex centum quinquaginta duobus Suffragijs in Conſeſſibus Sorbonicis prolatis, nè unum quidem occurrit, cui illa penitùs conſonet. Non Deputatorum Sententia dici poteſt, qualis propoſita hæc fuit Deliberationi Doctorum; cùm tam multa addita, & mutata ſint. Non ad Factioſorum mentem omninò fabricata fuit, cùm Præfatio, & plures mutationes factæ, aliaque infra notanda minimè ipſis ſapiant. Non majoris Doctorum partis fœtus eſt, utpotè cùm illi adverſùs Sententiam Deputatorum propoſitam Facultatati, diu multùmque luctati ſint. An Sindici Opus illam quis ſuſpicabitur? verùm

tantâ ille Authoritate non pollet, ut figmenta ſua Facultati integræ auſus eſſet imponere. Supereſt, Authores Cenſuræ eos cogitari, qui Factionis ſuprà dicti ſunt Patroni. Non igitùr illa eſt doctrinale Judicium, ſed iniquiſſimæ Authoritatis abortivus fœtus; non lucis, ſed tenebrarum Opus: non Facultatis Theologicæ Pariſienſis, ſed miſeræ ſervitutis Decretum.

Qualis igitùr authoritatis erit hæc Cenſura, quandò præſertim cum Judicio ſupremi Tribunalis Inquiſitionis Hiſpaniarum conferetur. Ibi plena, perfectaque Authoris vitæ, ac Mortis, Miraculorum, & Authographorum notitia comparata; hic verò eorum omnium cognitio, non tantum non quæſita, ſed etiam quandò hæc ſe obtulit, non eſt ſuſcepta. Ibi & contradicentibus, & propugnantibus alea patuit; hic verò omnis defenſionis via præcluſa eſt, nec admiſſus ex Franciſcanis ullus ex illis pluribus, qui inſtiterant ad cauſam illam agendam. Ibi maturè, & operoſè omnia examinata ſunt; hic præpoperè, & ex præoccupato animo. Ibi cauſa Revelationum ad regulas à SS. Patribus, & ab Authoribus graviſſimis traditas exacta; hîc earum nulla ratio habita. Ibi ad apices Juris Sententia Approbationis lata: hìc contra fas, ac Ius omne, res definita eſt in damnationem.

Quanquàm hæc fidelitèr, ingenuèque relata ad Cenſurâ hujuſmodi in execrationem vertendam ſufficerent, vitia tamen illius ſigillatim demonſtrare operæ prætium eſt, ſive illa, quæ ſe tenent ex parte materiæ, ſive illa, quæ ſe tenent ex parte formæ. 1°. Itaque Sententiam Deputatorum illô ipſô, quò typis primùm mandata, & judicio Facultatis ſubjecta eſt, ordine referam, & per ſingulos Articulos illam ipſis ſuis venenantis aculeis configam. 2°. Notas, & Obſervationes in Cenſuram ſub ementito Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis nomine vulgatam, Ubi opus fuerit ad calcem prædictorum articulorum adjiciam. Unde ſpero fore, ut iſtud Cenſuræ Monſtrum, quod Orbis Chriſtianus perhorreſcet, ſui pudore, ac veneno proprio tabeſcat, & cadat. Indulgentioris ingenij Viri fatebuntur ſaltèm in Cenſuram hanc merito cadere illud ſatyrici. *Dat Veniam corvis vexat cenſura Columbas.*

CENSURA

CENSURA CENSURÆ
SEU
CONFUTATIO
SENTENTIÆ QVORUNDAM THEOLOGORUM DOCTORUM PARISIENSIUM.

Sub ementito S. Facultatis Theologiæ Parisiensis Nomine evulgatæ. De quibusdam Propositionibus excerptis è Libro, cui Titulus est, *Mystica Civitas Dei &c.*

CONFUTATIO ista Sententiæ Censoriæ DD. Deputatorum, sicut & illorum Index novemdecim Articulos complectitur. In quolibet Articulo priorem obtinent locum Propositiones Censuræ subjectæ, à DD. Deputatis excerptæ è Tomo. 1. Vitæ SS. Virginis Deiparæ, Versionis Gallicæ R. P. Tho. Crousset, Linguâ Hispanicâ editæ à Venerabili Matre Mariâ à Jesu Abbatissâ Monasterij immaculatæ Conceptionis de Agreda. Illæ autem Propositiones in favorem eorum, qui non callent Linguam Gallicam Latinè ad verbum sunt redditæ. 2°. Loco ponitur Sententia, sive Censura DD. Deputatorum Propositiones configens, & damnans. 3°. Confutatio Sententiæ Censorum, seu Censura Censuræ, per partes expensa, Propositiones vindicans, & Censuram ipsam DD. Deputatorum proprijs aculeis, maculis, ac Notis refigens. 4°. & ultimo aptantur loco Notæ, & Observationes in Suppositiam Censuram, quæ sub nomine Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis evulgatur, & circumfertur. Non in quolibet Articulo, sed ubi opus est, locum habent illæ Notæ; inter quas ipsa Censura suppositia exscripta locatur: Præfatio verò ejus ad finem faciendum servatur, ut consultiùs notetur.

ARTICULUS I.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIONES SUBJECTÆ CENSURÆ.

PAg. 15. Verſionis Gallicæ, & Editionis Hiſpanicæ num. 9. Inducitur Deus ſic loquens de tempore, quô miſit Filium ſuum in Mundum, *Tunc miſi paterno amore impulſus, ſalutem æternam, & remedium Naturæ humanæ, ad curandas ipſius infirmitates.*

Nunc volo gratiam novam impertiri hominibus, quia venit tempus opportunum.

Ecce tempus, in quo Miſericordia mea maximè eluceſſet, & in quo volo amorem meum maximè operativum eſſe.

Pag. 16. num. eôdem *Reſpiciens ad juſtos, qui in hoc fœlici tempore inveniuntur, volo omnibus aperire Ianuam, per quam acceſſum habeant ad meam Miſericordiam, & facem præbere ipſis, ut illuminentur in tenebris cœcitatis ſuæ.*

Pag. 17. num. eôdem. *Volo ipſis ob oculos ponere ſpeculum, in quo videre poſſint ingrati animi ſui crimen, atque prodigia, quæ Potentia mea operata eſt in hâc creaturâ, Matre Filij mei incarnati pro Genere humano: & volo manifeſtare ipſis plura, quæ hucuſque abſcondita fuerunt, juxta arcana mea Iudicia.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Doctrina, quæ dicit Miſericordiam Dei magis eluxiſſe, amoremque ejus magis operativum fuiſſe, manifeſtatione rerum, quæ dicuntur huic Moniali revelatæ de Myſterijs SS. Virginis, hactenus occulto Dei, ut ipſa ait, Iudicio abſconditis, quàm in Miſſione Verbi incarnati in hunc Mundum: Falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura ipſa eſt *inconſiderata, falſa, fraudulenta, calumnioſa ſcandaloſa, & impia.*

Inconſiderata: Si quid enim perplexum, & obſcurum Interpreti Gallico excidiſſe videbatur, inſpiciendum erat Exemplar Hiſpanicum; eòque magis,

quòd duo ex Deputatis se Linguam Hispanicam callere gloriantur. Difficultas autem per ipsos gratis excogitata statim evanuisset, Sic enim ibi effertur tertia Propositio; in quâ jacet tota, si quæ sit, difficultas. *Et quia tempus istud est, in quo attributum Misericordiæ meæ se iterum manifestabit, & in quo nolo amorem meum otiosum stare* (*Y porque es el tiempo, en que el attributo de mi Misericordia mas se a de manifestar, y en que quiero, que mi amor no este ocioso*) Quod certè Censuræ suprascriptæ non subjacet, & longè diversum exhibet sensum.

Falsa est. Quam enim configit Doctrinam, hanc confingit. Instituta quidem eo in loco comparatio est ex opposito, inter hominum Miseriam, & divinam Misericordiam; & quô major creditur fuisse humani Generis corruptela, eò magis dicitur effulsisse Dei benignitas. Factam verò comparationem inter beneficium Incarnationis, & beneficium Revelationum Abbatissæ de Agreda, quasi magis eluxerit Divinus Amor in isto, quàm in illo beneficio, quis ex hoc loco suspicari potuit, nisi tetricus, & malè affectus Censor? Nam disertè fertur in toto contextu, *Quòd tempore Incarnationis fuerunt Homines in pejori statu, quàm fuerint unquàm, & quòd tunc summa fuit humani Generis miseria: præsens verò sæculum infœlicius quidem esse, atque corruptius, quovis sæculo elapso ab Incarnatione Christi, sed non deterius illô ipsô tempore, quô facta est Incarnatio.* Unde deducit Author pijssima expressis verbis. *Summã Dei Miserationem eluxisse tùnc, quia nunquàm tanta fuit Hominum miseria: nùnc verò & aliud magnum (Otra muy grande) non verò majus Misericordiæ specimen Deum præstare quia magna est, licèt non tanta hominum depravatio,* Id autèm quàm sanum, quàm integrũ est!

Fraudulenta. Quia Propositiones seorsùm jacentes in textu collegerunt DD. Deputati, ut ex illis ità compactis pravus resultaret sensus, quem Propositioni tertiæ affigunt. Industria tamen non infida tantùm, sed & vana prorsùs! Cordatus enim nemo ex Propositionibus illis etiam sic junctis, hauriet sensum, quem Deputati obtrudunt. Insuper vocem gallicam *le plus*, quæ significat, *maximè*, expressserunt per *magis*, ad colorem confictæ suæ comparationi inducendum. Quanquàm sive magis, sive maximè, ibi legatur, Propositio non alitèr accipi potest, quàm in sensu extensivo, & cumulativo: juxtà quem minus bonum additum majori bono, facit adhuc majus. Porro Sæculum presens includit beneficium Incarnationis: si ergò dicitur ultrà accepisse beneficium plurium Revelationum, quid repugnat dicere Misericotdiam Dei magis, vel maximè in illo elucere, utrôque scilicet hôc beneficiô? S. Leo similiter locutus videtur serm. 18. de passione. *Indulgentiùs nobiscum egit Dei Misericordia, quos in hæc mundi tempora distulit, ut multò pluribus, quàm priores Vatibus uteremur, & Testibus.*

Inde patet Censuram *calumnioſam*, esse, cùm notam superbiæ, & arrogantiæ non ferendæ perperàm inurat humillimæ Virgini de Agreda; undè & *scandalum* ortum est calumniarum, quæ adversùs illam per Gallias sparsæ sunt: quod & *Impietatis* genus est; tum quia prædicta calumniandi occasio sumitur ex confictâ comparatione Mysterij Incarnationis, quod revereri

debebant Deputati, ne illud talibus calumnijs miscerent: tum quia hoc tentatum est adversus Virginem Sanctitatis, & Miraculorum Famâ conspicuam, & ante Sedem Apostolicam quasi constitutam, ut in beatarum Mentium album referatur, si videtur Summo Pontifici. *Nè insidieris*, inquit Spiritus Sanctus Prov. 24. 15. *& ne quæras impietatem in domo justi, nèc vastes requiem ejus.* Illud Monitum contempnentes D D. Deputati, *transierunt in affectum cordis*, ùt ibi impiam doctrinam comminiscerentur, ubi omnia pia, &. Sancta sunt: Verùm, *defecerunt scrutantes scrutinio*, & àb ipso liminè *mentita est iniquitas sibi.*

NOTÆ.

In Suppositiam Censuram Sacræ Facultatis Parisiensis.

Hunc primum suum errorem emendare voluerunt Deputati, verecundiâ victi, aut aliundè coacti: quod tamèn ità præstiterunt, ùt cùm iniqui non desierint esse, ridiculi facti sint. Quid enim est, quidue sonat ista Censura?

CENSURA SUPPOSITITIA.

Si intendat Author in prædictis Propositionibus, Mysteria de SS. Virgine sibi (ut ait) recèns revelata, comparare, & præferre Mysterio Incarnationis Verbi, & in illis majorem Dei Misericordiam, quàm in isto eluxisse, amoremque ejus magis operativum fuisse: hæc Doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, impia.

Si verò tantùm intendat gratiam, & beneficium prædictorum Mysteriorum sibi (ut ait) recèns revelatorum præferri debere omnibus gratijs, & beneficijs, quæ Deus à tempore Incarnationis Hominibus contulit: Hæc Doctrina falsa est, temeraria, & scandalosa.

O novum, & inauditum Censuræ genus, quod non Propositiones subjectas tantùm, sed etiam occultam intentionem ferit, & notat! Audieram Hominem secundùm faciem judicare, Deum autem solum scrutari corda: temerarium esse, de internis cogitationibus judicare, quoadusquè veniat, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: Ecclesiam proindè ipsam non judicare de occultis. At Deputati, sive quilibet alij Censuræ hujus fabricatores, cùm in aperto contextûs sensu cœcutiant, internum pijssimæ Authoris consilium rimari, ac detrudere volunt. Equidèm si prava intentio certis verbis exprimeretur, Censura tolerabilior esset. Verum quis ferat alternas hujusmodi conditiones, *Si id intendat Author, si verò intendat aliud.*

Quid ipsi censerent de Sententiâ Judicis, qui adversus hominem àd se delatum, quòd Fistulam ferream longiorem displosisset in illis partibus,

quæ Regiæ venationi reſervantur, ità pronuntiaſſet; *ſi intendit ille hominem occidere, ad furcam*; *ſi leporem, ad triremes: ſi recreare tantùm animum, ad mulctam pecuniariam.* An Senatûsconſultum aliquod viſum eſt unquàm, pœnam aliquam decernens cum hâc conditione, *ſi intendit reus*? Verùm omnibus qui fuerunt unquàm, omnium ordinum Judicibus longè preſpicaciores atque ſapientiores ſunt Cenſores noſtri: Et ſatis ſupèrque Authoritatis habent ad novam Judiciorum Formam condendam.

Huic tamèn ſi locus eſt, nihil tàm expreſſè, tàmque manifeſtè verum, & ſanctum erit, quod Cenſuræ ſubſterni non poſſit. Exemplum petatur ab illo Joannis exordio, quod quidem tot capitalia Fidei Dogmata, quot verba refert. *In principio erat Verbum*; ſi intendat Evangeliſta, Verbum ità fuiſſe in principio, ùt nòn fuerit ante principium mundi, ſive ab æterno: hæc propoſitio hæretica eſt. *Et Verbum erat apud Deum*; ſi intendat Verbum fuiſſe apud Deum tanquàm Perſonam extraneam, aùt quandò ſubdit, *& Deus erat Verbum*; ſi intendat unam eſſe tantùm Dei perſonam, ſcilicet Verbum: hæ propoſitiones blaſphemæ ſunt. Similiter quandò dicit, *Omnia per ipſum facta ſunt*; ſi intendat Patrem, & Spiritum Sanctum à creatione Mundi excludere, & cùm dicit, *& Verbum caro factum eſt*; ſi intendat Verbum in carnem converſum eſſe: hæc Doctrina erronea eſt, & execranda. Poterit igitùr damnari totum S. Joannis Evangelium, quia nullam ferè exhibet propoſitionem, quæ ſub conditione intentionis pravæ cadentis in terminos reprehendi nequeat.

Vis aliud Exemplum. Multa quidem ipſa ſuppoſititia Cenſura ſubminiſtrat locis ſuis nòn prætereunda. Unum ex illius Præfatione nùnc ſufficiat. *Declarat*, inquiunt, *ſacra Facultas ſe potentiori Interceſſioni SS. Virginis, ac Tutelæ præcipuè confidere.* Certè ſi intendât præcipuam ſpem, ac fiduciam, nòn tàm in Dei ipſius Miſericordiâ, atquè Providentiâ, quàm in Interceſſione, ac Tutelâ SS. Virginis collocandam eſſe; hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, impia, hæretica. Si verò, ut ipſis eorum verbis utar, intendant plus ſpei, & Fiduciæ reponendum in SS. Virginis, quàm in Chriſti Domini noſtri apud Patrem Mediatoris, & Advocati præcipui, Interceſſione & Tutelâ, & potentiorem eſſe Intereeſſionem Matris quàm Filij: hæc paritèr propoſitio erronea eſt, & hæretica.

Si intentio per primam Cenſuræ partem expreſſa in aperto erat; quare in primâ ſententiâ ſuâ non perſtiterunt? cur non nutantibus Propoſitionibus relatis, Cenſura fluctuat? Si verò prima hæc intentio ſatis non conſtat ex verbis, cur pijſſimam, cautiſſimamque Virginem de Agreda, in ſuſpicionem vocât Revelationum ſibi factarum beneficij antepoſiti beneficio Incarnationis? Qualis, quantaque fuerit ejus Humilitas, atquè Modeſtia inquirere primùm debebant, quàm dé mente ejus tam fœdè opinari, vel ſaltem ipſa illius verba expendere, ubi ſcilicet non *majorem Miſericordiam*, ſed *magnam aliam Miſericordiam* (*otra muy grande*) in Verſione gallicâ, *gratiam novam* Author commemorat.

At saltem, *si intendat illa*, inquiunt, *gratiam, & beneficium Mysteriorum sibi revelatorum præferri debere omnibus gratijs, & beneficijs, quæ Deus à tempore Incarnationis hominibus contulit : hæc doctrina falsa est, temeraria, & scandalosa.* Addere illos oportuit; *si verò nihil horum intenderit, Doctrina ipsius vera, pia, & sancta est.* Quæ obsecro interpretandi ratio? nùm potest beneficium aliquod maximum dici, quin omni gratiâ absolutè majus intelligatur? Deputati nostri vocantur Sapientissimi, sicut & singuli Doctores Parisienses : an propterea omnibus absolutè sapientiores habentur? Si àb usitatis superlativis temperandum est, fortè non invenietur, undè isti sapientes dicantur, adeò enim in hâc censurâ desipuerunt.

Maximum sit in genere suo hoc beneficium, ideònè cætera beneficia paritèr in genere suo amplissima nòn censebuntur? Si quæ fiat ibi comparatio, temporum est magis, quàm gratiarum. Eatenùs verò maxima Dei Misericordia elucet in hoc perditissimo Sæculo, quod copiosiori circa res Fidei, & Pietatis lumine perfunditur. Quid si accedat Revelationum Authoris pijssimæ lumen? quod maximum esse ipsa experta est, & summum id Divini Amoris esse testimonium, illa piè existimavit. Aliter sentire quidem Censores potuerunt : non verò piam Authoris de Divino beneficio existimationem proscribere.

Cæterùm quid magnificentiùs, utiliùsque cogitari potest post Christi Domini Mysteriorum Fidem, quàm accurata Mysteriorum SS. ejus Matris notitia? quam si plenissimam Deus Authori contulit, & per illam pijs Deiparæ Cultoribus : quodnam piaculum est, istud beneficium tanquàm maximum commendare?

ARTICULUS II.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Conflixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIONES SUBJECTÆ CENSURÆ.

PAg. 17. num. 10. Deus inducitur sic loquens. *Non manifestavi hæc in primitivâ Ecclesiâ, quià continent Mysteria tàm alta, tàmque sublimia, ut Fideles illis penetrandis, & admirandis intenti fuissent, cùm necesse erat stabiliri Legem gratiæ, & Evangelium promulgari. Et quanquàm id incompossibile non fuisset, attamen ingenium humanum oppletum ignorantiâ pati poterat non nihil turbationis & dubitationis, quia Fides Incarnationis, & Redemptionis erat adhuc debilis, atque Præcepta novæ Legis erant quasi in cunabulis.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM

Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & novitatem inducens.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *indeterminata eſt, vaga, & vana, omnimodè falſa, temeraria, & novitatibus impijs favens.*

Indeterminata & vaga: Quid enim intendunt? quid impetunt? quid inficiantur? *hæc Propoſitio*, inquiunt, *falſa eſt* &c. quænàm Propoſitio? Retolvitur enim hic Articulus in plures Propoſitiones, varia & planè diverſa referentes. Ex his quam notare voluerunt? An quòd ea, quæ hoc in Libro referuntur de beatiſſimâ Virgine, dicuntur abſcondita fuiſſe, ſcilicet quantùm ad aliquam, vel majorem partem primis Eccleſiæ temporibus? An quòd ea quæ nòn manifeſtata ſunt primis fidelibus efferuntur tanquàm mira, alta, ſublimiaque Myſteria? An quod aſſeritur fideles per ſtudium illorum Myſteriorum potuiſſe diſtrahi à ſollicitudinibus, & laboribus neceſſarijs ad fundandam, & ſtabiliendàm legem gratiæ? An quòd notitia Myſteriorum omnium Deiparæ Virginis nòn abſolutè incompoſſibilis dicitur cum prædicatione Myſteriorum Chriſti? An tandem quòd ex iſtis, & illis Myſterijs ſimul propoſitis, oriri tùnc potuiſſet nonnulla turbatio, ſeu dubitatio aliqua, cùm eſſet adhuc debilis Fides Chriſtiana? Iterum dico: quam ex iſtis Propoſitionibus configere voluerunt Deputati? Dicant ipſi; Inquiſitores enim Delegatos, & Conſultores, quorum eſt, nòn plena Authoritate judicare, ſed ad Judices, & arbitros referre, minimè decet confuſè, & indiſtinctè Sententiã de Propoſitionibus condemnandis dicere. Interim verò abeat in auras Cenſura illorum; verè vana, quia vaga, & indeteminata.

Omnimodè, In quamcunque Articuli partem detorqueatur, *falſa eſt*, *& temeraria.* Nam ſi ſubſiſtimus in limine Articuli; negant fortè Deputati, aliqua eſſe in hoc Libro prioribus Eccleſiæ ſæculis nòn manifeſtata; quomodò igitur in perpetuas tenebras Librum amandant? ſi nihil in eo continetur quod manifeſtatum, & ſuſceptum non fuerit in primitivâ Eccleſiâ; cur novitatis illum inſimulant? Ferre nòn poſſunt, quòd ea quæ dicuntur hic primis fidelibus non manifeſtata, tanquàm mira, & ſublimia Myſteria proponantur: Attamen conſtat ex priorum Eccleſiæ temporum notitiâ, id etiam expreſſè atteſtantibus SS. Patribus, Authoribuſque graviſſimis, quòd quæcunque in Religione Chriſtianâ meritò æſtimantur mira, alta, atque ſublimia, illa explicitè non fuerunt omnia, & ſ[illegible]a, ab initio Eccleſiæ manifeſtata.

Et quidèm quantùm ad ea, quæ beatam, Virginem ſpectant, Gerſonius ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Cancellarius, quo non oportunius, nec tutius Oraculum Doctores potuerant in ſubjectâ materiâ conſulere, part. 1. ſerm. de Concept. *Spiritus Sanctus*, inquit, *interdum revelat Ec-*

eleſiæ, vel Doctoribus poſterioribus aliquas veritates, vel expoſitiones ſacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædeceſſoribus; ſic dicit Gregorius juxta illud Danielis pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Ideò Moyſes ſcivit plus quàm Abraham, Prophetæ pluſ quàm Moyſes, Apoſtoli pluſ quàm Prophetæ, Doctores addiderunt multas veritates ultra Apoſtolos Quapropter dicere poſſumus hanc veritatem Conceptionis ex illis veritatibus eſſe, quæ novitèr ſunt revelatæ. Sic Nativitas noſtræ Dominæ ordinata fuit per revelationem unius Fœminæ.

Idem in appendice ſerm. de Concept. *In cognitione eorum*, inquit, *quæ ad Deiparam ſpectant, Eccleſiam majores in dies progreſſus feciſſe mihi compertum eſt. Conſtat enim Antiquitatem multa SS. Virginis Encomia, aut prorſùs ignoraſſe, aut minùs rectè calluiſſe, quæ hodie Eccleſia novâ luce perfuſa piè amplectitur, & veneratur: ità ut putem id ſibi Virginem divinaſſe, cùm in domo Zachariæ, ità cecinit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes Generationes; quod quidem ità accipiendum eſt, ùt ſuccedentes Generationes, nòn modò acceptas à prioribus Laudes Virginis celebrarent; ſed etiam illas novis acceſſionibus augerent, & cumularent.* Similia tradidit Fulbertus Epiſc. Carnot. ſerm. de ortu Virginis.

Joannes Raulinus ejuſdem Sacræ Facultatis Doctor, Regij Collegij Navarræ Rector,& Profeſſor Theologiæ emeritus,cujus commendatio eximia extat Tom. 5. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, docebat ducentis & ampliùs abhinc Annis ſerm. 2. de Concept. quod *Deus revelavit aliquibus Sanctis de Eccleſiâ, qui floruerunt in ultimis temporibus aliquas veritates, quas prioribus non revelaverat, in figurâ cujus Exodi 24. Moyſes partim ſanguinem effudit, partim in Crateres reſervavit; quia Sacrarum Litterarum intelligentia partim in Mundo jam effuſa eſt, partim poſteris ad aſpergendũ reſeruata.*

Cardinalis Richelæus S. Facultatis Pariſienſis Doctor, atque Protector munificentiſſimus idem innuit lib. de perfectione Chriſtiani cap. 32. Ubi reſpondens vituperatoribus quibuſdam vitæ, & orationis contemplativæ, qui objiciebant nullatenus ex Scripturâ, aut Traditione conſtare, quòd Virgo Deipara hoc genus vitæ, & orationis ſectata ſit: *preterquàm quòd* inquit, *non ſuppeditant omnia, quæ ſpectant iſtum Articulum, & alios multos, utpotè nòn neceſſarios ad ſalutem; colligitur tamèn ex Evangelio, & ex ratiocinio SS. Patrum, qui Virgini tribuunt, quidquid videtur conducere ad perfectionem ejus in hâc vitâ, nòn denegatum illi fuiſſe altiſſimæ contemplationis beneficium (NOTA) Quià ſufficit, quòd de poſſibilitate beneficij conſtet, ne dubitetur de conceſſione.*

Dominus Flechier Epiſc. Nemauſenſis parte primâ panegyricorum ſerm. de Concept. *Non venio*, inquit, *ſcrutaturus Myſterium, quod Deus nondùm revelavit*, quô clarè innuit Deum nòn omnia revelaſſe primis temporibus, & aliqua de novo revelari non inconveniens eſſe.

Sufficiant hæc de innumeris Teſtimonia domeſtica; Luculentiora habentur apud S. Amadeum Epiſc. Lauſenſem hom. 8. de Laud. Mar. *Spirituales viſiones*

visiones, inquit, *& cælestes Revelationes almæ Parentis Domini Orbi Terrarum assiduè coruscabunt, donec finem Mundus iste senescens inveniat &c.* Apud Petrum Cellensum lib. 9. Epist. 10. *Credo, & confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine Sacro-sanctâ, quàm nota, & hoc ipsum revelabit Deus, quando voluerit, & quomodò voluerit.* Apud Ambrosium Catharinum disp. pro Imm. Concept. in expugnat. 4. aciei. *Ego enim latere plura de Virgine existimo, beatis nota Spiritibus, & suâ Die revelanda Ecclesiæ, ut quævis ætas suis, atque novis gaudeat decorata Mysterijs.* Apud Richardum à S. Laurentio lib. 4. de laud. Virginis in illa verba, *beatam me dicent omnes Generationes. Ipse qui antiquis inspiravit, ut de Matre suâ sub Enigmatibus glorioſa prædicerent, ipse & quosdam modernos illustrat, ac etiam usque ad finem Mundi semper aliquos illustrabit, ut Deiparæ præconio nova semper aliqua superaddant.*

Rupertus verò in illud Cantici, *Murenulas aureas faciemus tibi*, illud ipsum flagitat, quod concessum est Abbatissæ de Agreda. *O Virgo Virginum*, inquit, *tutis auribus Amicorum committe secretum, ut dicas nobis, quomodò, vel per quid Altissimo placueris? qualis ille tibi fuerit, primùm in corde, sivè in sinu, deinde in convictu, sive in colloquio, dùm lactares uberibus, dùm gestares eum ulnis?*

Eundem in scopum collimant illa SS. Patrum loca, & præsertim Damasceni, Bernardi, Anselmi, Bonaventuræ, &c. in quibus Maria dicitur, quantùm ad cognitionem mirabilium, quæ in illâ operatus est Omnipotens, *Hortus conclusus, Fons signatus, Thesaurus inexhaustus, Abyssus multa Prodigiorum &c.* quibus omnibus constat plura Mysteria verè alta, atque sublimia, beatissimam Virginem spectantia, diserte, & clarè primis Ecclesiæ temporibus proposita, & explicata non fuisse. Cui veritati majus lumen, ac robur accedet, ex Authoritate antiquiorum Ecclesiæ Patrum, quos sequens articulus exhibebit. Hæc verò in Scriptoribus jam laudatis quis inoffenso non decurrat pede? Unde igitùr tanta offensio ex dictis prorsùs similibus Abbatissæ de Agreda? *nunquid est pondus & pondus, mensura & mensura*: ut idipsum quod in tàm multis Authoribus approbatur in Authore nostrâ-pijssimâ damnetur? Sed hoc Scriptura dicit *abomina bile coram Deo.*

Verùm quid opus est tot testimonijs? Censorum nostrorum arbitratui rem accuratiùs nunc discussam committo. An existimant, expressè, & dilucidè disputatum fuisse, atque definitum in primativâ Ecclesiâ, quid tenendum sit de modo Prædestinationis SS. Virginis, de immunitate illius à peccato originali, & à peccato actuali vel minimo, de Præsentatione ejus, & Virginitatis voto ab infantiâ emisso, de secretis vitæ internæ, & comtemplativæ ejusdem, de Assumptione illius secundùm corpus, & secundum animam &c. Altum, inquiunt, silentium est de his apud Authores Ecclesiasticos priorum sæculorum; Nec his multùm intentos fuisse primos Fideles constat: Attamèn illa ipsa absolutè, & secundùm se spectata, abstrahendo

à veritate, & certitudine (quam demonſtrare adverſùs recentiores Mariæ Virginis adverſarios, non eſt hujus propoſiti) illa, inquam, nonnè mira, alta, & ſublimia dici poſſunt, & dicuntur paſſim à Scriptoribus, & Oratoribus ſacris. Idipſum igitur, quod præcipiti damnarunt Sententiâ, nunc admittere, & ipſimet dicere coguntur.

Magnæ arrogantiæ eſt, inquiunt, Monialem illam gloriari, quòd revelata ſint illi grandia Myſteria primis Fidelibus nòn manifeſtata. Similem ſibi opponit difficultatem S. Ambroſius in illud Pſalmi 118. v. 66. & 100. *ſuper omnes docentes me intellexi, & ſuper ſenes intellexi. Videtur*, inquit, *inconveniens eſſe verecundiæ prophetali hujuſmodi uſurpatio; Sed debuit hanc aſſummere confidentiam, qui docebatur à Domino, & mandatum quo docebatur Domini erat, & Dominus ipſe qui docebat.* Idem reſpondendum eſt in gratiam Venerabilis Matris. Debuit certè hanc aſſumere confidentiam, quæ à Domino docebatur. Et Cenſores ipſius non tàm ei quàm Spiritui Sancto injuriam faciunt, cùm huic legem nihil manifeſtandi, quod primis temporibus non declaratum fuerit, præfigere præſumunt. Undè meritò reclamaret quis, ut quondam Ansbertus, *ergo quod nefas eſt dicere, Spiritus Sanctus Omnipotentiam ſuam amiſit, qui varietati temporum cœpit ſubjacere: cùm ei iſtis diebus nùnc agere nòn licet, quod eum per Sanctos in præcedentibus feciſſe, nullus Fidelium dubitavit.*

An inconvenientius eſt, aliqua de novò privatim revelari per Spiritum S. ad ædificationem Fidelium, quàm nova Fidei Dogmata per eundem definiri àb Eccleſiâ, quæ tanquàm Fidei Dogmata prioribus Sæculis non habebantur? qualia ſunt multa, Myſterium Trinitatis & Incarnationis, Naturam Angelorum, Originem Animarum, & Doctrinam de Gratiâ, & de Sacramentis ſpectantia. Aures præbeant Auguſtino Cenſores noſtri. *Multa latebant in Scripturis*, inquit, in pſalm. 54. *Hæretici agitaverunt quæſtionibus Eccleſiam Dei, & aperta ſunt, quæ latebant. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequàm ablatrarent Ariani? Nunquid perfectè de Pœnitentiâ, antequàm obſiſterent Novatiani? Sic nòn perfectè de Baptiſmate, antequàm contradicerent Rebaptizantes, nèc de ipſâ unitate Chriſti enucleatè dicta erant, quæ dicta ſunt, antequàm ſeparatio illa urgeret fratres infirmos.*

Unde doctiſſimus Petavius de Incarnatione diſt. 14. cap. 2. agens de Conceptione immaculatâ, in cujus favorem nimis effuſum illum fuiſſe dicet nemo. *Scitum illud eſt Auguſtini*, inquit, *ſingulorum mentibus revelari quædam à Deo, non ſolùm extraordinarijs modis, velut viſis & oſtentis, & hujuſmodi ſignificationibus, cùm occultum aliquid innoteſcit; verùm etiam uſitatis rationibus, quandò quod ignotum erat, vel orantibus, ac pulſantibus, vèl aliud agentibus aperitur. Itaque cauſam hanc non ſemel reddit, cur priorem opinionem poſteriore mutaverit, quòd cùm anteà nondùm ſibi Deus reliqua revelaſſet, tandem ea patefecerit.* Cujus rei duo exempla adducit, unum ex Epiſt. 1. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 1. Alterum ex Epiſt. 2. de Geneſi adv. Manich.

Nolim omittere S. Brigittam, quæ abſque ullâ reprehenſione ijſdem terminis locuta eſt, vel potiùs SS. Virginem loquentem induxit lib. 6. cap. 55. *Scito, quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quòd Amici ſui piè dubitarent, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.* Legantur notæ Conſalui Duranti in hunc locum pag. mihi 481. ubi idipſum quod intendimus, fuſè, & clarè demonſtrat: ejuſdemque libri cap. 61. hæc quoque occurrunt, *Quia verò Aſſumptio mea non multis cognita fuit &c.* Ergo plura ſunt, eaque mira, & ſublimia, quæ primis Fidelibus non manifeſtata fuiſſe omnibus perſuaſum fuit; quæque, vel explicari per Doctores, vel definiri per Eccleſiam, vel præelectis Animabus revelari potuiſſe, & adhuc poſſe certiſſimum eſt. Tandèm Argumenta omnia, quæ novas Revelationes, & poſſibiles, & probabiles oſtendunt, præſentis Articuli veritatem quoque demonſtrant, aliqua ſcilicet primis Eccleſiæ Sæculis non manifeſtata, ſubſequentibus potuiſſe manifeſtari.

Jam non ſupereſt, quod offenderit DD. Deputatos, niſi quod dicitur per manifeſtationem omnium Myſteriorum SS. Virginem ſpectantium potuiſſe diſtrahi Fideles, & admiratione, vel dubitatione averti ab ijs, quæ ad firmanda Religionis Chriſtianæ Fundamenta pertinebant. Levior certè ſcrupulus! Nemo non novit, primitivam Eccleſiam Gentilibus, & Judæis recèns converſis conflatam fuiſſe. Gentilibus illis admirationem nimiam, Judæis verò non modicam fortè dubitationem ingeſſiſſet hujuſmodi Myſteriorum declaratio. Gentiles in Idololatriam proni, à Beatiſſimâ Virgine tanquàm Deitate alterâ adorandâ vix ſibi temperaſſent, quod & S. Dioniſium Areopagitam ad conſpectum Mariæ aliquatenùs expertum eſſe refert Dioniſius Richellius in elucidatione cap. 3. de diu. nom. Judæi ècontrà, qui nihil niſi vulgare in Joachimo, Annâ, Joſepho, & Mariâ obſervaſſent, vix adduci potuiſſent, ut crederent tot arcana, totque prodigia, quot de illis narrantur hâc in hiſtoriâ.

Quæ igitùr tàm cæca carpendi libido hæc virgulâ cenſoriâ notare potuit! An improbatum fuit, quod S. Birgitta lib. 6. cap. 61. de Aſſumptione tanquàm ſibi revelatum à SS. Virgine tradidit, *quia verò Aſſumptio mea*, inquit Virgo Deipara, *non multis cognita fuit, hoc voluit Deus, ut priùs infigeretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ, quia corda hominum difficilia, & dura erant ad credendum Aſcenſionem ejus, quantò magis, ſi prædicata fuiſſet ſtatim in initio Fidei Aſſumptio mea.* Hanc ipſam rationem adhibuit Rupertus lib. 7. de div. offic. cap. 25.

Num oriri poterant in exordio Eccleſiæ Chriſtianæ ex ſtudio nimio erga Beatam Virginem, & ex prolixiori Prærogativarum ipſius expoſitione, eadem mala, de quibus conquæruntur ſæpiùs perperàm Cenſores circa cultum Virginis? Illi ſcilicet objurgant fideles, quòd Chriſti ſtudium pro Mariæ ſtudio abjiciunt, & quòd in recolendis Matris Myſterijs toti, Myſteria Filij tradunt oblivioni. Cur ſimile aliquid potuiſſe primis temporibus contingere non ſuſpicantur Oſores hujuſce Libri? Addunt inſupèr tot ac tanta noſtris diebus

narrari de Virgine, ut in ijs nutet Fides, & Pietas: quantò magis dubia hæsisset, quandò in plerisque infirma erat ac debilis, Religione Christianâ scilicet nondum satis firmitèr constitutâ.

Itaque Censura Deputatorum quomodocunque vertatur, *falsa est, & temeraria.* Additum est ad retorquendas iniquas eorundem notas, & qualificationes, *Novitatibus impijs favens.* Ex Censurâ enim illorum nihil elici potest, nisi quòd omne genus Revelationum privatarum irridendum est, atque damnandum; quod & apertè aliqui eorum cum sequacibus suis nonnullis declararunt: Sententiam suam non aliter certè dicendo in Comitijs Sorbonicis, quàm Kemnitius, quàm Centuriatores Magdeburgenses, alijque probatarum Revelationum irrisores hæretici dixissent.

Prætereà notum nimis omnibus est, Socinianorum, & Deistarum errores circumquaque serpere, quorum caput est, rationem revelationi substituere, & sublatô omni testimoniô Divinô, Naturæ dictamen sectari; ijs porrò novitatibus omnimodè præcavendis favet apertè Censura, quæ Revelationes propositas statim, vel ipso revelationum titulo proscribit, ac reprobat: nec patitur, quidquam de novo Fidelibus circà Pietatem manifestari. Digna proindè est talis Censura, quæ suis venenatis acuminibus ipsa conpungatur.

NOTÆ.

In Suppositititiam Censuram Sacræ Facultatis Parisiensis.

Nihil observandum occurrit in novâ Censurâ circa istum Articulum, & duos proximè sequentes, nisi quod tres istos Articulos cum appositis notis, in unum congesserunt Deputati, & tres Propositiones, quas divisim in suo Indice damnaverant, sub specie emendationis conjunctim hâc posteriori Censurâ confixerunt.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Hæ Propositiones, quibus Author asserit veritates sibi fuisse revelatas, ipsis prioribus Ecclesiæ Sæculis incognitas, imò & de ipsarum numero, quas Apostoli ipsi portare non poterant, easque tanquam constantes, & infallibiles Fidelibus proponit; Falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, fanaticis & hæreticis favent, ad omnes Novitates viam aperiunt, & Authoritati Ecclesiæ derogant: ad quam pertinent Fidelibus proponere veritates tanquam constantes, & infallibiles, ex verbo Dei Scripto per Apostolos ad nos transmisso.

O dignam tot consilijs, tot laboribus, atque vigilijs Emendationem! Non potuerunt post tam multa in disceptatione horum Articulorum medijs in Comitijs adducta, quibus totiès convicti, suffusique pudore illi fuerant, aliam adhibere, quàm ut quæ primùm seorsim, nunc conjunctim damnarentur. Quod quidèm non ità factum existimes, quia id ordo, sanumque Judicium poscebat, utpotè cùm tres isti Articuli eodem contextu sibi succeden-

es in eundem ſcopum colliment. Sed ſicut ſepoſiti fuerant ad augendum Articulorum numerum, ut vel ipſa Propoſitionum notatarum multitudine omnes in Libri deſtinationem præoccuparentur: ita in unum reſtituti ſunt, ut decreſcente numero, ijs Magiſtris, qui anxiè poſtularant, ut plures Propoſitiones à Cenſurâ eximerentur, primâ ſpecie ſatisfactum videretur. Propterea etiam 19 Articuli Indicis Deputatorum ad 14. in evulgatione Cenſuræ ſuppoſititiæ redacti ſunt. Cæterum nihil aliud circa hos Articulos immutatum eſt: quorum proinde Confutationem proſequor.

ARTICULUS III.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 17. num 10. *Propterea Verbum homo factum dixit Diſcipulis ſuis in ultimâ cœnâ, multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & hæreticis favens, qui hâc Evangelicâ Sententiâ abuſi ſunt, ut novitates, & audacias figmentorum ſuorum colorarent.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *iniqua eſt, captioſa, temeraria, ſcandaloſa, & impijs favens. Iniqua.* Damnat enim hoc in Libro, quod alibicunque laudaretur. Cùr enim Diſcipuli non poterant portare in ultimâ cœnâ, quæ Chriſtus habebat illis dicenda? Non poterant ſanè, vel propter tenebras ignorantiæ, & incredulitatis, ſive propter debilitatem Fidei ſuæ ergà Myſterium Redemptionis humanæ? Quis rationem hujuſmodi non probabit, cujus Apoſtoli ipſi ſequenti nocte, ac die tàm luctuoſum exhibuerunt argumentum? *Propterea dictum ipſis* aſſerit Vener. Mater, *multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.* Quare igitùr falſitatis arguunt hoc in Articulo rationem illam, ſignificatam hâc voce *propterea*, ſive *propter hoc*, & lineis immediatè præcedentibus exaratam?

Captioſa. Avulſa ſunt enim ex induſtriâ hujus Articuli verba; tùm à præcedentibus, nè iſtud *propterea* videretur cadere, in ignorantiam, & incredulitatis

tatem Discipulorum Christi, quæ ratio improbari non poterat: tùm à sequentibus, quibus apertè declaratur non dè Apostolis tantùm, sed dè omnibus omnium sæculorum Fidelibus, tunc in Apostolis repræsentatis hæc Christi verba ibi intelligi, & usurpari. *Locutus est* (Christus) *in illis* (Apostolis) *universo Mundo*, qui sensus paritèr irreprehensibilis est.

Temeraria. Quem enim temeritatis arguit sensum, usumque horum Christi verborum, ille sacris Interpretibus, ipsique Ecclesiæ probatus est, & Doctrinæ SS. Patrum consonat. Enimverò illa multa quæ Christus non dixit Apostolis, quia tùnc portare non poterant, sunt ea, quæ Spiritus Sanctus posteà manifestavit, sive Apostolis, sivé Fidelibus sequentium sæculorum, ut expressè significatur verbis Christi sequentibus, *cùm venerit ille, docebit vos omnem veritatem*, ubi loco verbi *docebit* PP. Græci, & ex Latinis S. Aug. legunt, *deducet vos in omnem veritatem; quo indicatur*, inquit Cardinalis Toletus, *quod non simùl & statim omnia aperuit Spiritus Sanctus, sed successu temporis, expresso per verbum deducet*. Eô sensu videtur dicere Ecclesia, *Mentes nostras Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.*

Lucculentiùs verò Muldonatus, *dicimus*, inquit, *ex hoc loco constare Christum non omnia dixisse Apostolis; imò nec Spiritum Sanctum omnia continuò Ecclesiæ revelasse, quia omnia simùl portare non poterat: sed ut ætate crescebat, ità & scientiæ incrementum accepisse*. Rectè enim dixit Hilarius, *Sicut Christus olim faciebat, ità & nunc Ecclesiam quamvis sensu alio, ætate crescere, atq; sapientiâ*. Hilario adiungi potest Tertulianus Libro de velandis Virginibus cap. 10. *Nihil*, inquit, *sine ætate est, & omnia tempus expectant, tempus, ait Ecclesiastes, est omni rei. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum, est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur, deindè rami invalescuni, indè germinis tumor, & flos de germine, & de flore fructus, is quoque rudis aliquandiu & informis paulatim eruditur in mansuetudinem saporis. Quod Religioni aptans prosequitur, & ait. Primò fuit illa in rudimentis naturæ, Deum metuens; dehinc per Legem, & Prophetas promovit in Infantiam, dehinc per Evangelium efferbuit in Iuventutem: Nunc per Paracletum componitur in Maturitatem*. Discipulus ejusdem S. Cyprianus Epist. 71. in illud 1. Cor. 14. 30. *Quod si alij revelatum fuerit sedenti, prior taceat*, inquit, *quâ in parte docuit, & ostendit Apostolus multa in dies singulis in melius revelari, & debere unumquemque non pro eô quod semèl tenebat, pertinaciter congredi; sed si quid melius, & utilius extiterit, libentèr amplecti.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. de Theol. in hæc Christi verba suprà recensitis similia, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, ait, *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis tenere præstiterit, ut nec repentè neque confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem usque occultemus*. Quibus ostendit Spiritum Sanctum tenuisse illum ordinem in veritatibus manifestandis.

Sanctus Gregorius Magnus hom. 16. in Ezech. *Hoc quoque nobis sciendum est*, inquit, *quòd per incrementa temporum crevit scientias Spiritualium Patrum.*

Plus namque Moyſes quàm Abraham, plus Prophetæ quàm Moyſes, plus Apoſtoli quàm Prophetæ Omnipotentis Dei Scientiâ eruditi ſunt. Fallor, ſi hæc Scriptura ipſa non loquitur; Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia: quia quantò Mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperitur.

Et ſanè, ſi omnia ſtatim manifeſtata fuerunt primis Fidelibus, cur neceſſe fuit Concilium Jeroſolimis cogere ? Cùr magna ibi conquiſitio circa Legalia? Quomodò *ſurrexerunt quidam dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare Legem Moyſis* ? Quomodo concluſum eſt ? Velùt ex novâ manifeſtatione veritatis, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis &c.* Cur tandèm Scriptores priorum Sæculorum nec tam clarè, nec tàm cautè ſcripſerunt de pleriſque Religionis Chriſtianæ Dogmatibus ? Hæc ſufficiant ad revincendam Cenſuram, quæ non ſuſtinet dici, quòd aliqua Myſteria, Virginē Deiparam ſpectantia manifeſtata, id eſt clarè, & explicitè propoſita non fuerunt primis Eccleſiæ temporibus,

Ut autèm temeritatis arguant Ven. Matrem, adducunt S. Auguſtinum Trat. 96. in Joan. ſit loquentem. *Quis enim eſt tam vanus aut temerarius, qui cùm dixerit etiàm vera, quibus voluerit, quæ voluerit, ſine ullo teſtimonio Divino affirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere noluit ? Quis hoc noſtrum faciat, & non maximam temeritatis culpam incurrat ?* Verùm Vener. Mater ſine ullo teſtimonio Divino non affirmavit, ſi hæc ex ſpeciali Revelatione protulit; non ut voluit, ſed ſicut Domino placuit locuta eſt: & ut Verbis tanti Doctoris utar, *Non à Doctoribus exterioribus didicit, quæ tunc noluit Dominus dicere. Sed à Magiſtro interiori, ab illo ſcilicet, qui docet hominem ſcientiam, qui docet omnem veritatem*, edocta, quaſdam prioribus Eccleſiæ ſæculis veritates incognitas, ſuperno lumine illuſtrata cognovit.

Deindè S. Aug. abludit à litterâ, & contextum illum Joan. propoſito ſuo accommodans, inſectatur Manichæos, & quoddam Genus Gnoſticorum, qui his Chriſti verbis abutebantur, pro abominandis impurcitijs inſinuandis, ac defendendis. *Moneo vos*, aiebat Aug. *Ut Seductores caveatis impuros, & obſcœnæ turpitudinis Sectas, immundicias horrendas docentes, quas aures humanæ portare non poſſunt, dicentes ipſa eſſe, quæ Dominus ait, adhuc habes vobis dicere &c.* Omnia verò, quæ Ven. Mater ſcripſit, non tantùm Fidei, & Pietati, ſed etiam Modeſtiæ, Caſtimoniæ, & Pudicitiæ ſunt conſona, nec non ad ſummam eruditionem, ſublimem Divinorum agnitionem, & altam Myſteriorum puriſſimæ Virginis Mariæ notitiam maximè conducentia. His addere poſſem, quòd Interpretes ſacri deſerunt hâc in parte Auguſtinum. Et Cardinalis Toletus oſtendit in illum locum Joan. Rationes illius ad aliud intentum, & propoſitum, quàm quod habebat tunc ille S. Doctor, inſufficientes, & ineptas eſſe, ac Doctrinæ aliorum SS. Patrum repugnantes. Ideò quæ Aug. adducit contra ſeductores impuros, adverſus Virginem puriſſimam non ſunt producenda.

Et reverà; an temerarius dicendus eſt S. Gregorius Nazianzenus, quia cre-

didit Fidem explicitam Divinitatis Spiritùs Sancti esse de Mysterijs, quæ Christus tùnc reticuit? An S. Justinus martyr, qui in expositione 99. gentil. rep. 112. idem censet de Regno spirituali Christi, quod terrestre futurum putabant Apostoli? An Origenes lib. 2. contra Celsum, & Dydimus lib. 2. de Spiritu Sancto idem autumantes de spirituali Legis antiquæ observantiâ? An alij Patres, qui varia hujusmodi retulerunt ad prædicta verba Christi, *multa habeo vobis dicere*? Constat saltèm illa multa esse ea, quæ Spiritus Sanctus docuit posteà Apostolos, & Fideles. Ergò si Vener. Mater edocta fuit per Revelationem circa Mysteria multa SS. Virginis, rectè censuit illa de numero esse eorum, propter quæ Christus dixit, *multà habeo vobis dicere &c.* Eodem sensu, & modo usurpat hæc Christi verba Consalvus Durantus in lib. 6. revelationum S. Brigittæ cap. 55. & Alphonsus Palectus Archiepisc. Bononiensis in historiâ de mirandis Christi Stigmatibus, cap. 1. *Quandoquidem Deus*, iniquit, *multa Ecclesiæ suæ patefaciat, quæ præteritis temporibus illam latere voluit, quod innuere Salvator voluit illis verbis, multa habeo vobis dicere &c.*

Scandalosa tandèm, *& Hæreticis favens.* Quia si hoc loco abutuntur Hæretici, ut scitè ait Maldonatus, volentes commenta sua esse à Spiritu Sancto, sicut Gnostici, quos notat S. Augustinus: Illo pariter loco adversus Catholicos abutuntur Hæretici dicentes, quod quidquid præter Verbum Dei scriptum in Ecclesiam inducere nobis libet, hoc contextu stabilimus. Ac proindè, cùm usum legitimum hujus loci, propter abusum quorumdam hæreticorum, tollunt & damnant Censores nostri, occasionem præbent, tum hæreticis, tum alijs etiam ex Catholicis minùs cordatis, contemnendi Traditiones, Definitiones Conciliorum, Leges Ecclesiasticas, Cæremonias sacras, Theologiam Scholasticam, & Moralem, prout nunc traditur, atque omnes privatas Illuminationes & Revelationes; quæ omnia sunt de illis multis, quæ non poterant portare Discipuli in ultimâ cœnâ: quæque successu temporum manifestata sunt per illum Spiritum, de quo dictum est, *docebit vos omnem veritatem.*

ARTICULUS IV.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

Pag. 18. num 10. *Nolo ea spectari ab hominibus, tanquàm opiniones, aut simplices visiones, sed tanquàm constatem, & infallibilem Veritatem.*

Censura

CENSURA DD. DEPUTATORUM

Cum ad Ecclesiam pertineat Fidelibus proponere Veritates, tanquàm constantes & infallibiles ex Verbo Dei scripto, vel non scripto, per Apostolos ad nos transmisso; hæc Propositio falsa est, temeraria, scandalosa, & Authoritati Ecclesiæ derogans.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Censura ipsa *Inconsulta est, & iniqua, insulsa, inepta, & falsa*, ac quantum conjicere licet, *ex malâ fide, & calumniandi animô procedens.*

Inconsulta. Quia facile potuit, & absolutè debuit examinari Interpretatio gallica, utrum fidelis esset in loco tanti momenti, ex quo solo sumptum est fundamentum plura rejiciendi, hoc in Libro contenta, quæ tanquàm Probabilia præterijssent salva; cùm econtrà, illa tanquàm infallibilia Orbi proposita universo, ferre non possunt plerique: Quanquàm id eveniat ex minùs rectâ hujus loci intelligentiâ. Sic autem habent Exemplaria Hispanica, *Nolo istam descriptionem, & declarationem vitæ ipsius* (sic Christus refertur locutus de Matre suâ) *esse opiniones, vel contemplationes, sed veritatem certam* (*Yo no quiero, que sea esta descripcion, y declaracion de su vida, opiniones, ny contemplationes, sino la verdad cierta*) unde manifestum est Authorem Versionis Gallicæ addidisse ex proprio sensu, *ea spectari ab hominibus*, & adjectiva ista, *constantem & infallibilem*, ex quibus Censuræ præcedenti aliqua data occasio prætenditur,

Iniqua. Quid enim æquitati magis repugnans, quàm Authorem cum Tradu&tore post sufficientem notitiam discrepantiæ textuum confundere, & ex levi istius lapsu stantem alteram prosternere, & innocentem damnare. Potrò quàm ingenuus, atque laudabilis sit Authoris sensus hâc in parte, ostenditur in eruditissimis notis Tomi primi Exemplaris Matritensis: Et ampliùs hic vindicabitur, si Versio gallica quanquàm non inculpabilis, à graviori Deputatorum Censurâ defendatur.

Hæc verò Censura si benè expendatur, *insulsa* prorsùs, & *inepta est. Cùm ad Ecclesiam*, inquiunt, *pertineat Fidelibus proponere Veritates tanquàm constantes, & infallibiles &c.* Quid tum? An quia proponere pertinet ad Ecclesiam, non pertinet ad Prophetam referre. Nunquid secundum S. Aug. Tract. 69. in Joan. alia est Authoritas Apostolica, & alia Prophetica? aliud certè est, Revelationem sibi factam simplicitèr narrare, quod est cujuscunque Personæ Divinitùs inspiratæ: aliud Revelationem credendam plenâ Authoritate, & sub interminatione Anathematis omnibus proponere, quod Juris est Ecclesiæ. Id refert Vener. Mater, quod sibi dictum à Deo credidit: Ideonè sibi credendi necessitatem absolutam omnibus imponit? Nunquid propterea Ecclesiæ Judicio se, suaque scripta subtrahit, cui totiès hoc in Opere se, suaque subjecit?

Deus equidèm inducitur loquens eo loco, & dicens, *volo pro Veritate certâ & infallibili haberi.* Sed undè habent Cenſores, quod ibi Deus voluntatem abſolutam, & habentem vim Imperij, ac Præcepti ſignificaverit. Nunquid non eſt Voluntas in Deo ſimplicis inclinationis, atque conſilij, eaque ſuo modo efficax? Si Deus aliquo modo uon vellet fidem adhiberi ijs, quæ hoc in Libro continentur, nèc ea revelaſſet, nèc ea per tot Miracula Gratiæ ſuæ, atque Potentiæ atteſtatus fuiſſet. Quod autem abſolutè, & ex præcepto fides ijs certa præſtetur, hoc ſcitur non eſſe de communi Providentiæ ſuæ erga Eccleſiam ordine; nec id intendiſſe Vener. Matrem, manifeſtè jamjàm conſtabit. Igitùr & liberum debuit illi eſſe referre qualiacunque verba audivit à Domino, & liberum manet unicuique, referenti credere, vel non.

Cæterùm, an plus eſt dicere Veritates aliquas certas & infallibiles, an dicere illas eſſe revelatas? Veritas Divinitùs revelata nonnè eô ipſô certa eſt, & infallibilis in ſe, & ut loquuntur, objectivè. Sicut igitùr offenderetur nemo, ſi Venerabilis Mater Deum dicentem induxiſſet, *Volo te ex revelatione ſcribere:* Sic ſapiens, & cordatus nemo lædetur his verbis, *volo illa quæ ſcripſeris, eſſe Veritatem certam & infallibilem.* Id planiùs Exemplo aliquo fiet. Inducitur paſſim apud S. Brigittam Beatiſſima Virgo dicens, *Certitudinaliter tene. Iſta eſt pro certiſſimo rei veritas. Pro certo dico tibi. Abſque dubio habe. Nullatenùs dubitandum eſt*, ut videre eſt lib. 1. cap. 9. lib. 6. cap. 66. aliſque in locis. Quis propterèà cogitavit, S. Brigittam invaſiſſe Jura Eccleſiæ, proponendo tanquàm certa, & indubitata multa quæ non ſunt de Fide.

Falſa proinde eſt Cenſura illa, imò & *malæ fidei ſuſpecta.* Concipi enim non poteſt, quòd Deputati hunc locum tali Cenſurâ notantes, obliviſci tàm citò potuerint eorum, quæ in Introductione, ac in ipſo ejuſdem primi capitis limine paucis admodum paginis diſtantia, legerant; & quomodò inducere ſibi potuerunt in mentem, quòd plus fidei Author voluerit adhiberi per Fideles ſcriptis ſuis, quàm adhibuerit ipſa. Porrò quæ ſcripſit adeò ſibi certa, & infallibilia viſa non ſunt, ut *naufragium in illis ſcribendis nòn timuerit, nec ea correctioni humiliter ſubmiſerit.* Quinimò timorem ſuum aperit, illa à limine, & pro regulâ certâ proponit ſibi, *omnia, quantumuis illa ſublimia, & certa videantur, Iudicio Doctorum, & Miniſtorum S. Eccleſiæ ſubjicienda eſſe*, quod etiam *in directione animæ ſuæ, & in ſcriptis ſuis feciſſe ſemper* declarat num. 11. Introductionis. Prætereà num. 14. *Fateor*, inquit, *me errare poſſe, & id eſſe filiæ ignaræ; propterèà totum defero, atque ſubjicio Rectoribus meis, & correctioni S. Eccleſiæ Catholicæ, reccurere ad ejus Miniſtros in omnibus volens: inſuper intendo Superiorem meum, meum Directorem, meumque Confeſſarium Teſtes eſſe, Cenſores, & Iudices Doctrinæ mihi inſpiratæ, & ſcriptionis ejuſdem* &c. Quæ alibi quoque repetit, ſed præſertim in fine Operis ſui part. 3. num. 791. Denique num. 12. Introductionis aſſeuerat, *ſe in deſcribendâ vitâ Deiparæ ædificationem ſuam*

primariò & principaliter intendere : se non ut Magistram, sed ut Discipulam, non docendi, sed discendi causâ scribere, ac eo tantùm modo, qui conveniens videbitur sexui, & statui suo, atque Superiorum suorum ordinationi &c. Hæc si non legerint Censores inexcusabiles sunt, qui Librum, quem non legerunt integrum, nec proindè sufficientèr intellexerunt, tàm probrosis aspergunt notis, si verò legerint, quâ fide, quâ fronte, persuasum esse cunctis voluerunt, Venerabilem Matrem arrogasse sibi Jura Ecclesiæ, proponendo revelata sibi, tanquàm credenda ab omnibus de necessitate Salutis. Mera igitùr *calumnia* est ista Censura, eaque temeraria, scandalosa, & prorsùs indigna Censoribus

ARTICULUS V.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIONES SUBJECTÆ CENSURÆ.

PAg. 123. num. 107. *Et nos Angeli Domini adoremus, & honoremus beatam illam Fœminam, quæ datura est carnem humanam Verbo æterno: & agnoscamus illam pro Reginâ & Dominâ nostrâ.*

Pag. 168. num. 181. *Beatæ generationes, quæ videbunt illam, & quæ poterunt prosterni pedibut ejus, & illam adorate.*

Pag. 370. num. 328. *Angeli custodes dulcissimæ Filiæ cum aliorum Angelorum multitudine magnâ adoraverunt eam, & obsequia illi sua exhibuerunt, cùm esset in ulnis Matris suæ.*

Pag. 377. num. 334. *Sancti Angeli adoraverunt, & honoraverunt in Throno Altissimi Mariam Sanctissimam.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæ quatuor Propositiones, quatenùs in illis indistinctè, & issdem terminis exprimitur Adoratio exhibita, vel exhibenda Beatissimæ Virgini, quibus Deo ipsi, & homini Deo exhibita exprimitur pag. 99. & 100. falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, & in errorem inducentes.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Censura *impudentissimum mendacium est, & pura putà calumnia, temeraria, insupèr ipsa est scandalosa, & in errorem, ac impietatem inducens.*

Mendacium, inquam, & *calumnia* animadversione publicâ punienda. Quæ enim auducia fallendi, & circumveniendi Orbem universum! *Adoratio* inquiunt, *exhibita Virgini iisdem terminis, & indistinctè exprimitur his quatuor Propositionibus, proùt Deo ipsi, & homini Deo exhibita exprimitur pag. 99. & 100.* Aperiantur igitùr illæ duæ paginæ, & legantur. Prima, quæ respondet num. 87. habet, *Mandatum fuisse Angelis, ut Deum unum in substantiâ, & Trinum in Personis adorarent, & tanquàm Creatorem suum, & supremum Dominum, infinitum in esse, & in perfectionibus revererentur.* Secunda verò, quæ respondet num. 88. habet, *Deum manifestasse iisdem Angelis, secundam Personam SS. Trinitatis assumpturam esse Naturam humanam, isque injunctum esse, ut agnoscerent & adorarent Suppositum illud, hominem Deum, nòn solùm tanquàm Deum, sed simùl etiam quatenùs hominem.* Itanè posteriores hæ Propositiones cum quatuor prioribus exscriptis in Indiculo coincidunt? nùm in quatuor illis, vel etiam alicubi totius Operis, Maria Virgo dicitur *adoranda, tanquàm Creatrix, Suprema Domina infinita in esse suo, & in Attributis suis?* aut *adoranda propter Vnionem hipostaticam, tanquàm Suppositum Divinum, hominem Deum?* &c. Non igitùr ità indistinctè, ijsdemque terminis, adorationem Deo, & Mariæ decernit Author. O Oculatos, atque solertes Viros, qui duas illas paginas indicant, ex quibus falsitatis manifestiùs convincuntur! excæcavit certè eos malitia eorum, ut videntes non videant. Et reverà nonnè cæcos eos esse oportuit, si non animaduerterunt in omnibus ferè hujus Libri paginis, Mariam vocari *puram Creaturam*, illamque ab instanti Conceptionis, & ortus sui Angelis & Hominibus proponi, tanquàm perfectissimum supremæ Adorationis Deo debitæ Exemplar. An recordantur alicujus Libri qui de Attributis Divinis agat cum brevitate magnificentiùs, ac de infinitiès infinitâ, ut ait, Dei supra omnem creaturam Perfectione, & Celsitudine cum perspicuitate digniùs?

Convertunt se ad verbum illud *adorare*, ac Vener. Matrem propter hoc verbum cultui Virginis aptatum, tanquàm Idololatram, & Idololatriæ incentricem palàm traducunt. Ergò Idololatra Abraham, qui *adoravit Angelos & Populum terræ*, gen. 18. & 23. Idololatra Loth, qui duos advenas *adorasse* dicitur, gen. 19. Isaac similitèr, gen. 27. qui vult filium suum *Iacob adorari à Tribubus terræ*; & Jacob ipse, qui filio suo Iudæ prædicit, *adorabunt te filij Patris tui.* Sed Deus ipse Idololatriæ Author fortè censebitur, qui immisit somnium, quo Joseph videbat se per Solem, Lunam, & Stellas adorari! Quid verò de Moyse? fuitnè Idololatra, quia adoravit Jethro Cognatum suum, Exod. 18. vel quia non tantùm quater aut quinquies, ut supra notatur, sed plus quam quadragies prædicto verbo usus est ad significandam profundam reverentiam sub nomine adorationis, & Deo, & Angelis, & quibusdam Hominibus exhibitam. Fueruntnè Idololatræ, qui in Libris Genes. Reg. & Paralip. homines adorasse dicuntur? Minimè sanè. Nullus enim èx illis eâ dè causâ aliquandò fuit reprehensus; nisi fortè à

Cenſoribus noſtris: quaſiverò ipſi Pietate, Sapientiâ, & Divinarum notitiâ rerum antecellant Patriarchas, Ptophetas, Reges, Viroſque clariſſimos, in Scripturis commendatiſſimos, qui Perſonas inſignes, & emeritas adoraſſe referuntur. Ita quidem Abraham, & Loth adoraverunt Angelos ſub ſpecie Virorum apparentes.

Advertant hic DD. Deputati principium uſus antiquiſſimi hujus verbi *adorare*, pro reverentiâ, & veneratione exhibitâ Creaturis aſſumpti, non à perduellibus Deo, ſed ab ejus Amicis; Et attendãt, quòd in Sacrâ Scripturâ terminus ille *adorare* primò pro adoratione Creaturæ fuit uſurpatus ſemèl & iterùm, ut conſtat èx Gen. 18. & 19. Etenim in præcedentibus capitibus dictum verbum minimè reperitur. In cap. verò 22. de cultu Divino ſub nomine adorationis fit ſermo, quandò Abraham pergens ad Montem, Filium ſuum in holocauſtum oblaturus, dixit pueris ſuis, expectate hic, *& cùm adoraverimus revertemur ad vos.* Abraham inſuper adoravit Filios Heth, ut ſupra dictum eſt. Jacob & Joſeph, Lia & Rachel cum familiâ adoraverunt Eſaü, Gen. 33. Filij Jacob ter adoraverunt Fratrem ſuum Joſeph, Gen. 42. 43. & 50. Joſeph adoravit Patrem ſuum Jacob, Gen. 48. Moyſes fecit, quod de alijs narravit, adoravit Jethro *S*ocerum ſuum. Exod. 18. David adoravit Saülem, Reg. 1. c. 24. & c. 25. Abigail adoravit Davidem, cap. verò 28. Saül adoravit Samuelem defunctum. Miphiboſeth, mulier Thecuitis, Joab, Achimaas, & Areuna adoraverunt Davidem, Reg. 2. 9. 14. 28. & 34. Chuſi verò adoravit Joab. 28. Natan Propheta, & Bethſabee adoraverunt Davidem, 3. Reg. c. 1. & c. 2. Adonias adoravit Salomonem, Salomon verò adoravit Bethſabee Matrem ſuam. Filij Prophetarum adoraverunt Eliſæum, Reg. 4. 2. Ornan adoravit Davidem, Parilip. 1. 21. Principes Juda adoraverunt Joas, Parilp. 2. 24.

Alias hujuſmodi adorationes ab antiquis Scriptoribus ſacris relatas omitto, ut unam præcipuè notatu dignam ex ultimo cap. Lib. 1. Paralip. referam, ubi dicitur, quòd *omnis Eccleſia* (ſcilicet Irael) *adoravit Deum, & deinde Regem.* Ex quo capite manifeſtè concluditur, quod adoratô Deô, licitum ſit adorare Regem, ſcilicet Creaturam Authoritate, Dignitate, Excellentiâ, Eminentiâ præcellentem, atque Virtute, Meritis, & Sanctitate conſpicuam. Ideò omnis Eccleſia Chriſti primariò adorat Deum, & Hominem Deum: Deindè adorat Reginam, Mariam Sanctiſſimam, Virginem Deiparam, Hominum & Angelorum Dominam, in omni Excellentiâ creatâ Supereminentem. Ex his jam exertis duplicem viam adorationis colligere licet; prima eſt, quâ Pater credentium ab adoratione Creaturæ aſcendit ad adorationem Creatoris: Secunda verò, quâ Eccleſia Iſraelitica àb adoratione Domini deſcendit ad adorationem ſervi.

De Scriptoribus ſacris novæ Legis nunc ſit ſermo, qui eodem loquendi modo ſæpius uſi ſunt, ac preſertim Evangeliſtæ, ubi referunt plures Perſonas adoraſſe Chriſtum, quas Adorationem latriæ ei tunc exibuiſſe prorſùs improbabile eſt, utpotè cùm illum pleræque tanquàm magnum Prophetam tan-

tùm-modò haberent. Quid de Authoribus Verſionum omnium Scripturæ ſacræ ? qui in linguâ quiſque ſuâ proprietatem hujus vocis ſeruaverunt ; Ut videre eſt apud ipſum D. Saſſi Virum Deputatis & ipſorum Factioni pretioſum, in ſuâ Verſione, & Expoſitione gallicâ in gen. cap. 18. & in cap. 37. & 49. & alibi paſſim : Nec non apud famoſam Montium Verſionem, aliaſque ut Lovanienſem, D. Amelot, &c.

Nemo miretur me in vindicando hoc verbo prolixiorem ; Fuit enim petra ſcandali, & lapis offenſionis, atque adhuc illius verbi uſurpationem pro creaturis omni Cenſurâ dignam ſtupendâ pertinaciâ contendit Deputatorum Factio, quanquàm obruta teſtimonijs contrarijs, proprijſque etiam telis confoſſa. In Comitijs Sorbonicis, alij longam Patrum Græcorum ſeriem, alij numeroſam Patrum Latinorum manum, omne genus Librorum alij, præſertim gallicè ſcriptorum, adduxerunt, & legerunt. Ex quolibet Ordine unum, aut alterum proferam teſtimonium.

Inter Concilia Laudabo 2. Nicænum æcumenicum in cujus Actionibus prædictum verbum ſingulis ferè paginis occurrit. Actione 2. ſuſcipiendo literas Adriani Summi Pontificis, Tharaſius Patriarcha Conſtantin. ait, *ſecundùm antiquam Patrum noſtrorum Traditionem Imagines affectuoſo amore Adoramus &c.* Ibidem S. Synodus dicit, quòd *ità credit, ità ſapit, ità Dogmatizat.* & Act. 4. pluribus SS. Patrum teſtimonijs, in quibus eadem eſt Adorationis uſurpatio, fuſè relatis, concludit S. Synodus, *has pretioſas, & venerabiles Iconas honoranter Adoramus. Nos antiquam Traditionem Nos jura Patrum conſervamus, Nos eos qui addunt aliquid, vel auferunt, ex Catholicâ Eccleſiâ anathematizamus, Nos ſubintroductam novitatem Chriſtianos Idolatriæ accuſantium anatehemati ſubjicimus. Viderint Deputati, nùm in illos hoc anathema cadat.*

Inter Summos Pont. Laudandus Adrianus in Epiſtolis ad Imperatores pro 7. Synodo, & in repreſentatione ad Librum Carolinum indiſcriminatim Adoratione, & reverentiâ circa Sanctos, & imagines utitur ipſe, & Patres eâdem voce ſimiliter uſos demonſtrat

Ex Patribus græcis S. Baſilius Epiſt. ad Julianum à prædicto Adriano laudatâ, *Confiteor autèm*, inquit, *& Dei Genitricem Mariam ; ſuſcipio verò Sanctos Apoſtolos, Prophetas, &c. pro quo & Figuras eorum honoro, & Adoro.* Leontius Epiſc. Neapoleos ſerm. 5. pro Chriſtianorum Apologiâ adverſùs Judæos. *Si Idola*, inquit, *adoraremus, cùr Martyres qui deſtruxerunt Idola adoraremus ?* Expreſſè S. Joannes Damaſcenus docet, *Dei Matrem ab ominibus Adorandam eſſe*, idemque de Imaginibus fuſè decernit, & probat.

Ex Patribus latinis S. Auguſtinus lib. 1. ſup. Gen. q. 61. *Animaduertendum eſt*, inquit, *in eodem Præcepto non dictum Dominum Deum tuum ſolum adorabis, ſicut dictum eſt, & illi ſoli ſerv ies.* Lib. 2. quæſt. ſuper Exod. q. 69. in illud Exodi 18. *qui Egreſſus in occurſum cognati ſui adoravit. Ambiguè poſitum eſt*, inquit, *utrum adoravit eum ipſe Moyſes, quanquàm de adoratione, etiam ſi expreſſè poſi-*

tum esset, honor videretur Socero redditus, eo modo, quo solet hominibus honorificentiæ causâ exhiberi à Patribus: sicut de Abraham scriptum est quòd adoravit filios Heth. Lib. 10. dè civitate Dei à S. Thomâ laudato 2a. 2æ. q. 84. a. 1. Fatetur Aug. attributam sæpè fuisse vocem Adorationis licito creaturarum Culti, & solum Sacrificium nunquàm alteri, quàm Deo offerendum omnes existimasse.

Inter Theologiæ Principes S. Thomas loco jàm citato, atque etiam 3. p. q. 25. a. 5. in conclusione. *Beata virgo*, inquit, *hyperdulià Adoranda est.* & ad secundum. *Honor Matris refertur ad Filium, quia ipsa Mater est propter Filium Adoranda.* In illum locum S. Thomæ Isambertus Doctor Parisiensis celeberrimus Disputationem num. 6. instituit de Adoratione Deiparæ Virginis; & art. 1. *De Fide est*, inquit, *Beatissimam Deiparam esse Adorandam.* Similiter & ijsdem verbis Suarez Tom. 2. in 3. p. divi Thomæ disp. 22. Gammachæus Doctor Parisiensis 3. p. Sum. Theolog. q. 25. triplicem distinguit Adorationem supremam, mediam, & infimam. Vide Frassenium, Gonetum, aliosque Theologos, tàm veteres, quàm recentiores ferè omnes.

Ex Polemicis verò Hosius Cardinalis tom. 1. pag. 241. *qui Sanctos Adorat, Dei Dona in sanctis Adorat, quantò magis idem quisque facere credendus est, in eâ adorandâ ex cujus utero processit is, per quem Sancti sunt, quotquot sunt Sancti.* Bellarminus paritèr ubi de Imaginum atque Sanctorum cultu. Ex Gallis nostris Cardinalis Perronius in refutatione falsi discussus pag. 210. & seq. editionis Paris. An. 1633. Cœffeteau in responsione ad Molineum art. 17. & præ cæteris omnibus famosissimus Arnaldus Factioni Deputatorum super omnes Ecclesiæ Patres charus, ac venerandus, in Libro *de perpetuitate Fidei defensâ*, gallicè scripto, dicato Clementi 9. Summo Pont. & munito approbationibus vigintiquinque Episcoporum, ac vigintiquinque Doctorum Parisiensium, quos inter videre est D. Le Tellier Archiepiscopum nunc Rhemensem, D. Bossuet nunc Episcopum Meldensem; DD. Rolland, & Gobillon ex deputatis: aliosque ex adversarijs, ut DD. Gerbais, Feu. &c.

Coriphæus igitùr ille quondam suus lib. 1. cap. 9. pag. 119. & 121. indiscriminatim usurpat Adorationem, & reverentiam, quatenùs Reliquijs Sanctorum Martyrum debentur; & pag. 123. expressis verbis asserit facilè esse ostendere Adorationem, & reverentiam à Patribus quarti Sæculi usurpatas esse in sensu genuino pro Angelis, & Sanctis: & familiare esse, quòd voces diversos sensus habentes affirmentur, & negentur sine contradictione, & quòd uno sensu dicatur, solum Deum adorandum, & invocandum esse, altero verò sensu adorandos quoque, & invocandos esse Sanctos. Quibus addit, quòd *hæc diversitas sensuum, manet in idiomatibus, & linguis sine ullâ confusione, & absque eo quòd inde ulla nata sit difficultas; Et Sancti Patres utroque hoc modo sine contradictione locuti sunt: Nec tamen illud difficultatem ullam peperit, nec parere potest, nisi ijs qui vanam sibi fingere*

volunt. Legatur quoque lib. 7. ſub fin. pag. 753. Quàm benè hæc quadrent Deputatis, & cujus ſint ponderis talia, à tali homine prolata, nemo non videt. Erubeſcant illi ſaltem ſe in partes hæreticorum tranſlatos, eadem cum ipſis objicere. Nos certè illis nòn aliter reſpondebimus, quàm qui adverſùs hæreticos ſcripſerunt; non repudiando ſcilicèt Adorationem exhibitam, & exhibendam SS. Virgnini: Sed diſtinguendo pro Theologorum more triplicem Adorationis ſpeciem latriæ, hiperduliæ, & duliæ. Quæ quidem cum Elementis Chriſtianæ Religionis adhuc Infantes didicimus,

Ex Theologis moralibus unum adducam D. Grenet, cujus Opus Gallicè ſcriptum à pluribus Cardinalibus, & Epiſcopis approbatum eſt. Vide Tom. 5. pag 169. Adjiciam quoque Collationes morales Petrochorenſes recèns editas. Quia verò obſtinato animo Deputati defendunt Linguam gallicam nunquam ſuſtinuiſſe vocem Adorationis alteri, quàm Deo attributam. Conſulamus Dictionaria ipſa Gallica recentèr edita, undè uſus Linguæ, & Nationis maximè conſtabit. Sic habet Dictionarium Academiæ Regiæ *Adorare ſignificat aliquandò profundam Reverentiam alicui exhibere; ſic Regina Eſter Adoravit Regem Aſſuerum. Cardinales dicuntur ire ad Adorationem, & Papam fieri aliquandò viâ Adorationis.*

Dictionarium celebris Secretarij ejuſdem Academiæ D. de Laffuretiere *Adorare*, inquit; *ſignificat aliquandò ſimpliciter venerari ſic Reliquias, & Imagines dicimur Adorare. Verbum illud in uſu primigenio ſignifieat manum ori admovere.* Ita D. Richelet. Ita quoque Danetius in Doctionario ſuo Latino & gallico. *Adoratio eſt profunda veneratio, quæ fit inclinando ſe, & ori manum admovendo, & ſtatim eam in terram uſque deducendo.* His, ſi Libros pietatis libet attexere, nuſquàm erit referendi finis. Vulgatiſſimi ſunt, Liber triplicis Coronæ beatiſſimæ Virginis à R. P. Poiré Societatis Jeſu editus, & Methodus ſerviendi SS. Virgini Patris Salo gallicè reddita; quâ utuntur ubique, qui Juventutem inſtituendam ſuſcipiunt: In quibus Adoratio SS. Virginis paſſim commendatur. Laudare poſſem ipſum Catechiſmum Concilij Trid. ſivè latinè, ſivè gallicè editum. Hæc ſufficiant.

Si quæ verò remanet difficultas *ex Throno illo Dei*, in quo ſediſſe dicitur Beata Virgo; In memoriam redeat illud Apocalypſis *qui vicerit dabo ei ſedere ſuper Thronum meum.* Nonnulli Patres ſimiliter locuti ſunt. Sophronius ſerm. de Aſſumpt. inter Opera *S.* Hier. Tom. 9. *Chriſtus*, inquit, *cum gaudio Mariam ſecum in Throno ſedere fecit.* S. Anſelmus de Excellentiâ Virg. cap. 8. *Deus eam cunctæ ſecum creaturæ perenni jure dominaturam in Throno gloriæ ſuæ collocavit.* Ita paſſim & vulgò Prædicatores. At ſola totius loci contextûs inquiſitio difficultatem omnem ſolvet. Habetur enim ibi *Mariam humillimè primùm proſtratam fuiſſe ante Thronum Altiſſimi, & deindè contigiſſe illi in veritate, quod olim contigit Bethſabee in figurâ, quandò aſſumpta eſt in Solium Salomonis.* Quæ allegoria, nec non illa, quæ

fit

fit ibidem ad istud psalmi, *astitit Regina à dextris tuis*, & cautio ibidem posita, *Thronum illum esse tantummodò juxta nostrum concipiendi modum, & Mariam Adorasse primum, & deinde Adoratam fuisse, sed tanquàm Creaturam electam, ut esset Mater Verbi Incarnandi:* hæc, inquam, liberant Vener. Matrem ab omni erroris suspicione. De cæterò vide Articulum 14. Sententia igitùr Deputatorum meritò *temeraria* dicitur, quia damnat vocem eô sensu acceptam, qui familiaris est Scriptoribus omnibus Sacris & Ecclesiasticis.

Scandalosa verò est hæc Censura, atque *in errorem inducens*, quia præbet omnibus ansam cogitandi, detrahendum esse de Honore hucusque exhibito SS. Virgini, & plus ei à Fidelibus Reverentiæ exhibitum fuisse quàm debebatur. Unde plaudunt ipsorum Sententiæ Irreligiosi, & Impij: Reclamant verò adversùs illam, quotquot pij sunt ac timorati vocantes eos Antimarianos.

NOTÆ.

In Supposititiam Censuram Sacræ Facultatis Parisiensis.

Cùm Deputati Censuræ hujus Articuli modum adhibere noluerint, quam penitùs expungendam edixerant Doctores supra centum, ex illis ipsis centum quinquaginta duobus, qui in Congregationibus Sorbonæ Sententiam tulerunt; mutata quidem illa deprehenditur, sed non in melius, at imò in deterius; Sic enim ultimò edita legitur.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Licet adorationis nomen æquivocè sumatur, & aliquandò in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore creaturis debito usurpetur; tamen cùm ex Ecclesiæ usu terminus ille usurpari debeat, ad significandum supremum cultum soli Deo debitum, nec possit sine periculo scandali creaturis communicari. Hæ Propositiones, quatenùs eôdem adorationis terminô cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum beatissimæ Virgini, quô ipsi Deo exhibitus ab Authore exprimitur, Scandalosæ sunt, & in errorem inducentes. Quatenus autem dicunt sanctissimam Virginem adoratam ab Angelis, statim ut ipsi creati sunt, & statim atque ipsa nata est, tum etiam adoratam in Throno Actissimi: respectivè temerariæ sunt, & falsæ. Artic. 3.

Nolim immorari observando, Patrem Chaussemer, aliosque Deputatos adeò Doctrinæ S. Thomæ addictos, ac præ cæteris D. du Saussoy, qui solet dicere Theologiam, Scientiamque universam penes scripta sua, & S. Thomam stare, nec alibi posse inveniri, oblitos tamen esse, quòd Sanctissimus, & verè Angelicus ille Doctor nomen Adorationis non æquivocum, sed analogum dicit 2a. 2æ. q. 84.a.1.ad 1. & q. 94.a. 1. ad 2. & alibi, illudque sine offensionis ullæ inferendæ metu SS. Virgini tribuit. Ipsos verò ex

oppoſito apertè ſuffragari D. Baillet, qui reverentiam tantummodò externam erga Deiparam, & Sanctos, atque eorum Reliquias, & Imagines vult tolerari; nullum verò cultum internum ijs impendi, qui immediatè non referatur ad Deum: ponens pro principio unum eſſe Dei, & Matiæ cultum, quo ſolus Deus in Mariâ colitur. Enimverò ſi Adoratio æquivocè Deo, & Deiparæ exhibetur, ſequitur quod vera, & interna Adoratio cedat Deo; nulla verò Deiparæ, niſi nomine tenus.

Prætereo paritèr, quôd Scripturas aliquandò, & nonnullos Patres Adorationis nomine pro Creaturis uſos dicunt Cenſores, cùm magis Scripturas ſæpius, & omnes ferè Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos dicere debuerint: quorum teſtimonia ſexcenta in Comitijs Sorbonicis recitata inficiari non poſſunt. Ad rem potiſſimam veniamus. Quid volunt intelligi per hæc verba, *Tamèn cùm ex Eccleſiæ uſu terminus ille uſurpari debeat ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, nec poſſit ſine periculo ſcandali creaturis communicari?* An innuere volunt, quòd recens Eccleſiæ uſus id obtinuit, ut in primis Adorationis termino divinus exprimatur cultus? Verùm hic perpetuus fuit uſus Teſtamenti veteris & novi, Scripturæ Sacræ & Patrum, Authorumque omnium. Analogum enim frequentiùs ſumitur pro principali analogato. Sed quia ſæpiùs Adoratio dicitur de ſupremo Dei cultu, inde antiquorum nullus ſuſpiciatus eſt, Adorationis nomen Creaturis ſine ſcandalo communicari non poſſe. Et ſanè ſi aliquod erat periculum offenſionis, quandonàm magis caveri debuit, quàm in veteri Lege, & prioribus nominis Chriſtiani ſæculis, cùm vigeret ubique Idololatria, & in hanc adeò proni eſſent, non Judei tantùm, ſed etiam Gentiles recèns converſi. Nihilominùs Scriptores ſacri, & SS. Patres minimè abſtinendum ab hac Adorationis uſurpatione exiſtimarunt. Quinam ſunt igitur Cenſores illi, qui illam ipſam nunc proſcribunt tanquàm temerariam, & ſcandaloſam? Ergo deinceps ſine offenſionis periculo legi non poterunt Scripturæ Divinitùs inſpiratæ, nec SS. Patrum Scripta, in quibus paſſim fatentibus Cenſoribus occurrit talis Adorationis uſurpatio. Ergo illa ipſa, cum Libro Vener. Matris Fidelibus prohibenda ſunt. O Cenſores egregij, & de Religione meritiſſimi! qui quod afflante Numine per Scripturas, per Patres, per ipſa Concilia æcumenica Deiparæ, Sanctis, atque Sacris Imaginibus datum eſt, id ſine periculo ſcandali Creaturis nullatenùs poſſe communicari pronunciant.

Sed fortè recens uſus Eccleſiæ obtinuit, quòd deinceps ità ſoli Deo tribuatur Adoratio, ut hæc de SS. Virginis, atque Sanctorum cultu nullatenus dicatur. Non enim aliud habent, quod reſpondeant, illudque clarè deburunt Cenſurâ ſuâ exprimere, quæ, ut jacet nulliùs eſt ſenſus. Sed dicant, Cujus Eccleſiæ uſus id obtinuit? Non quidem Eccleſiæ Romanæ. Hujus enim uſum antiquum tradit Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione 7. Synodi æcumenicæ ad Joannem 8. Pontificem Adriani 2. Succeſſorem, *quæ*, iniquit, *ſuper venerabilium Imaginum Adorationem præſens Synodus docet, hæc &*

Apostolica vestra Sedes antiquitùs tenuit, & universalis Ecclesia, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondùm est horum veritas revelata. Quòd autem usum illa tuum non mutaverit, quæ ut omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra, ità non levis, & inconstans, sed Usuum, & Institutorum suorum retinentissima, Testes sunt locupletissimi Cardinales, Baronius, Bellarminus, Hosius, Bona; Testes pariter Authores Theologi, apud quos omnes legere est pro assertione, sivè conclusione, *Maria hyperduliâ adoranda est. Imagines adorandæ sunt. Est de Fide* &c. Porrò S. Facultas Parisiensis, ex majori numero spectata, quæ gravissimè hâc Censurâ exasperata est, sperat Sanctissimum Pontificem Innocentium XII. eodem animô, parique zelo hanc Adorotionis usurpationem vindicaturum, quô Adrianus I. quondàm eandem adversùs Librum Carolinum, defendit. Unde factum est, ut usus illius, nemine ad præsentem usque Censuram reclamante, invaluerit.

An usum Ecclesiæ Hyspanicæ obtrudent? At Censores nostri sicut & quilibet alij, qui docerent in Hyspaniâ Virginem, Sanctasque Imagines non adorandas esse, tanquàm Lutherani ad Tribunal Inquisitionis deferrentur. Ubi quid responderent, quandò objiceretur ipsis Censura gravissima Facultatis suæ Parisiensis, in istas Lutheri propositiones lata, *imagines non sunt adorandæ, nulla cratura adoranda est*? Nonnè meritò damnarentur, non tantùm velut Ecclesiæ perduelles, sed etiam tanquàm Facultati Parenti suæ rebelles? Hoc vel unum si attendissent Censores, quòd scilicet Liber sibi subjectus mera est Libri hyspanici interpretatio, nec pro Hyspanorum consuetudine Authorem aliter scribere potuisse: vel Censuræ suæ, vel rationi, & omni æquitatis speciei nuntium remittere ipsos oportuisset.

Usum Ecclesiæ Gallicæ objicient, sed quâ fide? Unde usus ille potiùs constare potest, quàm ex supra laudatis celeberrimis controversiarum Fidei Tractatoribus Perronio, Richelæo, Cœffeteau, Richeome, Veronio, Arnaldo; quàm ex modernis Theologiæ Scriptoribus Jsamberto, Gammachæo, Duvallio, Frassenio, Doctoribus Sorbonicis: quàm ex Collationibus moralibus Ecclesiarum Lucionensis, & Petrochorensis; ex omnibus Theologiæ moralis Tractatoribus; ex Interpretibus gallicis Sacræ Scripturæ: ex ipsis Libris DD. Bossuet & Dupin, adeò Venerabili Matri de Agreda adversis: Deniquè ex ipsis Dictionarijs gallicis novissimis. Quibus, alijsque innumeris hunc Adorationis usum comprobari supra monui. Incredibilis certè pertinaciæ, atque pervicaciæ est immaniissimæ, tot testimonijs objectis, vocem illam, non tantùm sensu proprio, sed etiam ex usu Ecclesiæ, tanquam scandalosam damnare. Verùm cujus tandèm est usus Ecclesiæ, quæ Adorationis terminum ad significandum tantùm supremum soli Deo cultum debitum usurpat, & omnem Adorationem Creaturis denegat? Dicam in opprobrium Censorum nostrorum hunc esse usum, non Ecclesiæ Sanctorum, Sed Ecclesiæ Malignantium, Pleudoreformatorum, Luthranorum, Calvinistarum &c. quorum errrori ipsa favet, nè dicam subscribit supposititia Censura.

Quàm temerarium, quàm insolens est, pias probatasque opiniones de SS. Virgine censorio stylo notare. Tales autem proculdubio æstimandæ sunt, quæ his Censuræ verbis indicantur: *quatenùs autem dicunt SS. Virginem adoratam ab Angelis statim ut ipsi creati sunt, & statim atque ipsa nata est* &c. Primum expressè Suares docet, cum Theologis benè multis, idque sequi videtur ex Doctrinâ irreprehensâ Doctoris subtilis, & ipsius Scholæ, aliorumque quamplurium; qui firmissimè tenent, quòd Incarnatio manifestata fuit Angelis in suæ creationis exordio, imò & Adamo: quòdque Verbum incarnandum jussi sunt illi adorare. Quidni igitur simul & Matrem ipsius, observatô discrimine utriusque? Presertim cùm Mater unà cum Filio juxta hanc Sententiam prædestinata, non ad Gloriam tantùm, sed & ad primam existentiam dicatur ante omnes Creaturas.

Quod verò Angeli eam natam adoraverint statim, hoc sequitur ex illa pijssimâ SS. Patrum, Authorumque innumerorum Sententiâ; quâ asseritur Cælum & Limbum, Angelos, Animasque pias corpore solutas multam ex SS. Virginis ortu cæpisse lætitiam; Etenim si Angeli Reginam suam, Dominam Mundi, Matremque Dei, & Creatoris atque Servatoris sui recèns natam agnoverunt, cunas fortè ipsius, atque crepundia despectui habuerunt? Si magnum cæleste omnes Spiritus gaudium occupavit, de præstandis illi obsequijs eorum nullus cogitavit? Nullos ad Infantem, quæ non prædestinatione tantùm suâ, sed etiam gratiâ & meritis longè ipsos jam superabat, mitti peroptavit? Adeò nè difficilis est Angelis è Cælis ad Terras commeatus? Dejecta forsàn, fractaque erat scala illa, per quam Jacob vidit Angelos ascendentes, & descendentes! Quàm piè magis, & consideratè plerique existimant, non nihil simile in Mariæ ortu contigisse, servatâ proportione, ac in mirandâ Christi ipsius Nativitate; Illamque sin minus ab hominibus, saltèm ab Angelis multis fuisse tùnc modô congruô Adoratam. Hanc Nativitatem obscuræ, atque humillimæ vulgarium natalium conditioni, privatô si voluerint sensu, addicant Censoros, per ipsos stat. Quòd verò illos, qui nobiliora, atque digniora de câdem cogitaverint, tanquàm temerarios, atque Fanaticos traducant, id non iniquum tantùm & inconsultum, sed prorsùs impiũ censeri debet. Quod spectat raptum ejusdem Virginis recèns natæ in Cælum, infrà suo loco elucidabitur.

ARTICULUS VI.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIONES SUBJECTÆ CENSURÆ.

PAg. 127. num. 112. *Tum primum Verbum per Humanitatem interceſſit pro hominibus ante Thronum Deitatis.*

Pag. 128. & 129. num. eodem *Divinum Consistorium, sivè Concilium SS. Trinitatis dixit, Vnigenitus noster doctrinam hanc prædicabit.*

Pag. 130. num. 113. *Descendat Filius noster passibilis, ad redimendos Homines.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæ Propositiones continent Doctrinam, quæ apertè derogat Divinitati Verbi, malè sonat in Fide, & in hæresim inducit.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Censura, *inconsiderata est, falsa, calumniosa, & in errorem ac hæresim ipsa inducens.*

Inconsiderata: Quia prima Propositio Articuli in sensu carpitur prorsùs diverso, ab hujus loci significatione: neque enim de Verbo Divino, ut Verbum Divinum est, sed de Verbo Incarnato, quatenùs objectivè præsente Divino Intellectui ibi fit sermo. Hôc autem modô verè intercessit Verbum non per actionem personalem tunc elicitam, sed per merita prævisa, non formaliter, & actu, sed objectivè, & representativè.

Hunc sensum genuinum esse liquet. Primò Ex ipsâ Propositione, in quâ habetur Verbum intercessisse nomine Humanitatis, id est, per Humanitatem assumendam; quô significatur manifestè, Verbum ex seipso non habuisse nomen, quô intercederet: quià intercessio hujusmodi inferioritatem supponit, quam in Trinitate nullam esse disertè docet Vener. Mater num. 27. & alibi.

Secundò Ex precedentibus. Verbũ enim quod intercessisse dicitur, idem illud est, quod ibidem exhibetur Angelis revelatum, & à Sanctis Spiritibus adoratum, à perduellibus verò impetitum, quod & causa fuit illorum ruinæ, at manifestum est, non solùm ex toto loci, & capitis contextu hæc de Verbo narrari, quatenùs Incarnato, non actu, sed objectivè: Verumetiàm ex lineis immediatè antecedentibus, ubi de Operibus, & Mysterijs Incarnationis & Passionis, ac de Regno Christi expressa fit mentio. Ergò prospicuè agitur ibi de intercessione Verbi Incarnati.

Tertiò Ex proximè sequentibus, quibus monetur Lector, hæc secundum nostrum concipiendi modum describi, & ubi statim exhibetur Pater deliberans de istâ intercessione, seu petitione cum Personis SS. Trinitatis, & unà cum ipsis decretum emittens. Quomodò autem Verbum eodem velut instanti dici potuit intercessisse tanquam supplex, & inferior; ac deliberasse, atque statuisse tanquàm Arbiter, & Judex: nisi quia diversimodè consideratur, scilicet in formâ Dei, quâ æqualis est Patri, & in formâ servi ex tunc prævisâ, quâ Patri inferior representabatur.

Porrò hanc distinctionem non benignè accomodatam huic difficultati, sed ex ipsâ Vener. Matris Doctrinâ sponte prodire fateatur necesse est, quicunque legerit capitis tertij numerum 27. ubi de Trinitate, & consubstantialitate

Perſonarum Divinarum differitur ad miraculum, & capitis 5. num. 67. ubi habetur, *opera ad extra eſſe communia Tribus Perſonis*, nec proindè Verbum potuiſſe quidquam ex privatâ Perſonâ agere poſitivè ante Incarnationem; attamèn Verbum Hominem factum tùnc àb æterno præſens fuiſſe Divinæ Voluntati: ità quòd, ſicut per Verbum increatum omnia facta ſunt, ità propter Verbum incarnandum omnia paritèr facta fuerint.

Deniquè à capite quartò hujus Libri uſque ad duodecimum Verbum ſiſtitur Intellectui Divino præſens tanquàm incarnatum; ſive ad explicandam Prædeſtinationem, & Creationem Angelorum & Hominum, ad ipſum ordinatam: ſive ad reddendam rationem lapſus Angelorum, & reparationis Hominum. Quod adeò planum eſt, ut nemo qui oculis exploraverit, non concludat; aut Delegatos Cenſores oſcitantèr & obitèr octo prædicta capita pervoluiſſe, nec tamèn ſine animo vel in leviorem ſcrupulum offendendi: aut ex protervià in talibus Viris non ferendâ, genuini ſenſus integritatem violaſſe, ut calumniarentur, incuſantes, quòd apertè Divinitati Verbi doctrina iſta derogat: cùm tamèn de Divinitate Verbi non rectiùs ſenſerit, nec clariùs ſcripſerit vel Sanctus Athanaſius.

At verò quâ viâ poterit ſalva evadere illrorum fides in duabus ſequentibus propoſitionibus hujus articuli; ubi falſum crimen imponunt Ven. Matri, quaſi induxerit Sanctam Trinitatem appellantem Verbum, *ſuum unigenitum*, *Filium ſuum*: Quod omni falſo nequius eſt. Ibi namque non SS. Trinitas, ſed ſolus Pater loquitur: & hæc verba, *unigenitus noſter*, *Filius noſter* non diriguntur ad Sanctam Trinitatem, ſed ad Angelos. Hæc verò loquendi forma Regibus, & Superioribus majoribus in actis plublicis familiaris eſt: Sic Rex Chriſtianiſſimus ſcribit interdum, *Delphinus noſter*, *Frater noſter unicus*. Ab illâ verò conſuetudine humanâ hanc formam loquendi ad Divina Decreta transferri non adeò inſolens eſt, quin vel in ipſo Scripturæ Sacræ limine uſurpetur: etenim *Elohim* ſignificat Iudices, quæ vox prima occurrit in Geneſi ad Deum ſignificandum, *In principio creavit Deus*, & infrà *faciamus Hominem &c.* Ergò vocula illa *noſter* malè terruit pleroſque, quaſi fides Verbi Divini penitùs peſſundata eſſet.

Quod ultimò retorquetur telum adverſus Deputatos meritò Sententiam eorum ferit. Quid enim damnatum in tribus illis propoſitionibus conjicient hæretici, & Catholici nutantes ac infirmi? Niſi quòd Verbum incarnatum interceſſerit, ut præviſum, & per merita præviſa contulerit ad obtinendum Adamo ac poſteris ejus gratiam; & quòd Chriſtus deſcenderit in carne paſſibili, quod negabant Valentiniani: ac proindè Doctrina per Sententiam Cenſorum Delegatorum notata non malè ſonat in Fide, nec in Hæreſim inducit, ſed illa ipſa Cenſorum Sententia.

OBSERVATIO.

In ſuppoſititiam Cenſuram S. Facultatis Pariſienſ.

De tribus Propoſitionibus DD. Deputati hic dixerunt Sententiam, in ar-

tic. verò 4. Propositionem, quæ habet *Verbum intercessisse per Humanitatem ante Thronum Deitatis*, Censura suppositia damnavit, ut sequitur.

CENSURA SUPPOSITIA.

Hæc Propositio malè sonat in Fide, & injuriosa est Divinitati Verbi. art. 4.

Vi veritatis notissimæ adduci non potuerunt Censores, ut articulum integrum à Censurâ eximerent; sed primam Propotionem cum ijsdem notis retinuerunt; & duas propositiones sequentes, quas malâ fide exscripserant dimiserunt: Si hoc ex speciali misericordiâ fecerunt, gratiæ illis miræ & multæ supersunt de tantâ Clementiâ rependendæ.

ARTICULUS VII.

INDICIS PROPOSIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 185. num. 172. *Nisi enim speciali voto adstricti fuissent ad eam Templo consecrandam, antequàm cognoscerent eam, & cum eâ agerent, videndo eam posteà tàm amabilem, tàmque suavem, omnes difficultates excogitabiles passi fuissent, si ab eâ separari oportuisset, nec nisi contranitente corde obtulissent eam, propter magnum amorem, quo erga illam afficiebantur.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM

Hæc Propositio Pietati, & Sanctitati Parentum Beatissimæ Virginis derogat.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Censura *inconsulta, & falsa est, ipsaque Censorum fidei, & integritati prorsus derogat.*

Inconsulta. Attendere enim debuerunt ad exemplar Hispanicum, quo fertur tantummodò, quòd Parentes SS. Virginis non devovissent eam tàm prompto animo (*con tanta promptitud*) propter magnum affectum, absque ullâ mentione *Difficultatum quarumvis excogitabilium*, aut *renitentis animi.*

Falsa. Neque enim Pietati derogat vis illa, quam sibimet Parentes infe-

runt; quandò naturalem vinunt affectum in devovendis Deo & Templo Liberis ſuis; quinimò èx difficultate creſcit plerunquè meritum: præſertim cùm integrum & ſalvâ Pietate liberum ſit Parentibus natas ſuas in domibus ſuis ſanctè educare, vel illas inſtituendas alicui Monaſterio uſque ad ætatem nubilem tradere. Quod ſi alicui viſum fuerit melius Filiam ſuam in domo Domini tempore Infantiæ & primæ Juventutis collocare; ille tamen ex affectu hæſerit ſuſpenſus, nec tàm promptè renitente naturâ obſecutus fuerit: An illum ſubitò impietatis in Deum arguent Cenſores? Num è contrà laudabunt conatum ejus adverſùs naturam, ſi ſuperatâ difficultate conſilium aliundè liberum compleverit? Et ſanè Perfectio ſita non eſt in Apathiâ Stoicorum, ſed in forti contra naturam niſu atque luctâ. Proindè Author pijſſima non deprimit, ſed commendat Pietatem Parentum SS. Virginis, cùm hinc multam difficultatem, indè verò Victoriam eorùm, qualis eſſe potuiſſet, excogitat, & deſcribit.

At verò *Cenſorum* noſtrorum *Fidei hæc ſua Sententia derogat.* Illi enim ſæpiùs cavillantur nimiam eſſe Monialem illam, non ſolum in laudibus SS. Virginis, ſed etiam in præconijs utriuſque Parentis ipſius. Reverà autem nemo ante illam tàm mira, tàm alta, tàm ſancta de ipſis ſcripſit. Vt quid igitùr volunt Famam ejus apud omnes laborare, quaſi de SS. Joachimo, & Annâ, quos impensè coluit, malè ſenſerit.

OBSERVATIO.
In Cenſuram ſuppoſititiam S. Facultatis Pariſienſis.

Rejecerunt articulum iſtum inter Propoſitiones articuli ultimi, ſcilicet ut inter tàm multas propoſitiones ibi coacervatas poſſet Cenſuræ jamjam refixæ iniquitas occultari: nec attenderet Lector multitudine obrutus, quantùm circa iſtum articulum deliquerint Cenſores.

ARTICULUS VIII.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIONES SUBJECTÆ CENSURÆ.

PAg. 204. 229. 230. 231. & 232. Num. verò 186. 206. 209. 210. 211. & 213.

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

In his Paginis continentur Propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ.

NSURA CENSURÆ.

Hæc Censura *piorum animorum ipsa magis offensiva, calumniosa, insuper & scandalosa est.*

Ipsa magis offensiva piorum animorum. Enimverò dùm articulus nihil refert, omnia sinit cogitare: Parcit auri, & mentem magis inquinat. Ex illo sumpta est occasio castissimam Virginem traducendi (horrescens refero) tanquàm vile Scortum, atque eam cùm in Comitijs Sorbonicis, tùm per Vrbem & Regnùm verbis & scriptis diffamandi, velut Quietistam perditissimam. Utinam tandèm illatæ contumeliæ pœniteat Authores.

Fidei & Conscientiæ illorum intererat saltem monere de proposito Scriptoris in locis notatis, & quis fuerit scopus ejus; Pauci enim sunt, qui Librum Gallicè scriptum pervoluent: Supra nimium multi, qui hanc Censuram perlegent. Monere, inquam, quòd institutum & scopus castissimæ Authoris fuit, ostendere Omnipotentiam Dei, virtutemque Gratiæ dominatam esse in Conceptione SS. Virginis, omnimodamque ejus puritatem demonstrare, atque illam ipsis etiam Concupiscentiæ motibus indeliberatis, qui peccati originalis veluti præcursores sunt, & quasi præludia, immunem probare, atque incontaminatam. Cùm verò nihil eorum innuerint Deputati, quid, quæso, conjicere possunt Lectores? Quot pravis cogitationibus, quot fœdis irrisionibus, quot turpissimis calumnijs est subministrata materies?

Si quid in Versione Gallicâ peccatum esse existimabant; Num simùl declarare eos oportuit, id incauti calami Interpretis lapsu, non prudentissimæ Authoris temeritate accidisse. Reverà autem Interpres (nè quid dissimulare videar) nonnulla adjecit textui Hispanico, quæ aliquantulum malè sonant Gallicè: sed neque illa tanti sunt momenti, nec adeò gravia auribus castis, ut Censuræ celeberrimæ Facultatis subjici meruerint. Alicubi etiam, ut num. 211. Sensum ille non est assecutus. Cæterum cùm lingua Gallica præ alijs omnibus casta sit, debuerat proindè Interpres his maximè in locis ad Versionis castitatem prospicere: Attamèn propter quatuor aut quinque verba minus pudica, sed non impudica sanè, quæ & plerisque intento pio videntur accommoda & necessaria, nefas fuit Authorem simul, ac Interpretem indiscriminatim prænotatæ Censuræ infamiâ conspergi.

Porrò mirantur quotquot sunt linguæ Hispanicæ periti, quàm cauta, quàm casta, quàm integra sint in exemplari Archetypo hujus instituti tractatio; Quod & conjicere poterit, qui quod illa scripsit, conferre voluerit, cum ijs, quæ de eodem argumento *S.* Brigitta lib. 1. c. 9. & lib. 6. c. 55. Dionisius Carthusianus lib. de laudibus Mariæ art. 6. Suarez &c. Sed & S. J. Damascenus, atque de simili materiâ Beda in Conceptione S. Joan. Bapt. S. P. Chrysologus serm. 91. Nicephorus lib. 1. c. 7. alijque multi scripserunt: imò & ipsas pijssimi atque eruditissimi Episcopi Placentiæ notas in hunc locum. Hinc enim constabit neminem tàm piè, tàmque pudicè de hoc argumento disse-

ruisse', nec indignam esse illam Libri istius partem, quæ æstimetur scripta illo inspirante, cujus eloquia sunt *eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum septuplum.*

NOTÆ.

In supposititiam Censuram S. Facultatis Parisiensis.

Censura sub ementito Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis nomine evulgata hâc in parte à Sententiâ DD. Deputatorum in nullo discrepat, nisi in ordine articulorum: Ista enim in octavo, illa verò jacet in quinto. Jaceat ergò hic refixa & confossa.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Pag. 204. 229. 230. 231. 232. *In hisce Paginis continentur Propositiones castarum aurium offensivæ.* art. 5.

Nulla verecundia, nec injecta obscœnitatum pro libito excogitabilium turpissima suspicio adducere potuit Censores, ut istum articulum, vel silentio præterirent, vel tàm verè, quàm honestè atquè pudicè, ut facile & promptum erat, explicarent. Unum tantummodò prænotatis adjiciam, scilicet S. Augustinum sæpè in libidinosam Parentum concupiscentiam Originale peccatum refudisse. *Dùm sibi invicèm*, inquit, *Vir Mulierque miscentur, non est sine libidine concubitus, & ob hoc Filiorum èx eorum carne nascentium non potest esse sine peccato conceptus, ubi peccatum in parvulos non propago, sed libido transmittit.* Similia passim in lib. contra Julianum, ac de nuptijs & concupiscentiâ, atque alibi Operum ipsius occurrunt. Imò & apud S. Gregorium lib. 7. Moral. S. Anselmum serm. de Concep. Virg. S. Bernardum, Magistrum Sententiarum, & alios plures. Undè & validissimum contra immaculatam Mariæ Conceptionem argumentum conficere videntur ejusdem adversarij. Cui difficultati qualiscunque illa sit, occurrere voluit Author Theodi dicta, appositè distinguendo in Conceptione SS. Virginis libinem à propagine, & concupiscentiam à Naturâ; & docendo Conceptionem Deiparæ à Verbi incarnati Conceptione eatenùs quidèm differre, quòd hæc sola Spiritu Sancto Virginem sine Viro obumbrante facta est: Sed illam quoque scilicet Deiparæ, à communi Posterorum Adæ conceptu eatenùs discretam esse, quòd non instigante concupiscentiâ, sed Gratiâ opitulante, ex Matre sterili, ac Patre annoso per Miraculum, ac proindè sine ullo Naturæ vitio, sed modô ferè eôdem ex peculiari Dei dispensatione, quô in statu Naturæ integræ, peracta sit. Quod quidem tàm sanum, tàm pijs omnibus probatum, quàm fœdum & nefarium, atque Viris æqui rectique animi invisum, Virginem irreprehensæ vitæ, & multæ Sanctitatis Famæ, insimulare tamèn impudicitiâ, eo quòd omnem ab Opinione Conceptionis Sanctissimæ atque purissimæ Mariæ maculam, & suspicionem libidinis sepoluerit.

ARTICULUS IX.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 238. num. 220. *Propter hoc Myſterium glorioſiſſimæ Mariæ Spiritus Sanctus ordinavit, quòd Eccleſia dicaret diem Sabbati Virgini.*

CENSURA DD. DEPUTATORVM.

Hæc Propoſitio falſa eſt, & temeraria.

CENSVRA CENSVRÆ.

Hæc Cenſura *inepta eſt, & ipſa temeraria.*

Inepta. Quid enim carpere intendunt? An quòd dies Sabbati dicitur SS. Virgini Sacer? Verùm id uſus, Pietaſque Fidelium obtinuit, idque Eccleſia per Officium S. Mariæ in Sabbato, aliaſque pias inſtitutiones approbavit. An quòd talis ordinatio refunditur in Spiritum Sanctum? Verùm nunquid ille Rector inviſibilis eſt Eccleſiæ, à quô verè ſunt quæcunque ordinata ſunt? An quòd *Spiritus Sanctus* intuitu Conceptionis immaculatæ id ità diſpoſuerit? Sed *quis novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Niſi Deus ipſe voluerit revelare.

Temerarium eſt, inquiunt, aſſerere Spiritum Sactum attendiſſe ad Conceptionem immaculatam in iſtâ inſtitutione: quin imò *temerarium* eſt, illud ipſum abſque ullo fundamento negare, ſi id ſibi revelatum affirmet probatus Author. Non credant, penès illos ſtat: Sed nullo præhabito Revelationis aſſertæ examine hanc Propoſitionem nullatenùs repugnantem, pronuntiare falſam, & temerariam, iniquitas, & ferè ſtoliditas eſt.

Videtur ibi, inquiunt, juſſio aliqua, veluti ſignificata Eccleſiæ, & àb eâdem executioni mandata inſinuari: liquet autem hujuſmodi juſſionem nuſquàm innotuiſſe Eccleſiæ. Verùm *ordinare* ſignificat *diſponere*, & quomodocunque rem aliquam rectè *inſtituere*. Quòd ſi vox Gallica *ordonner* æquivoca ibi videbatur, conſulendum erat Exemplar Hiſpanicum, in quo habetur clariùs, & àbſque ambiguitate, quòd *intuitu Conceptionis immaculatæ ordinavit, ſive diſpoſuit Spiritus Sanctus in Eccleſiâ diem Sabbati fore Sacrum Virgini.* Quod falſum eſſe quis probabit? Cui Legi, cui Dogmati

istud assertum repugnat, ut tanquàm temerarium notetur? An revelatum id fuisse impossibile est? Primum igitùr examinandum erat, nùm reverà probabile sit, illud actu revelatum fuisse? quod in judicium vocare noluerunt Censores.

OBSERVATIO.

In Censuram suppositiam S. Facultatis Parisiensis.

Articulus iste Sententiæ DD. Deputatorum inter propositiones articuli ultimi Censuræ suppositiæ insertus est, ad numerum faciendum. Prædamnata igitur maneat, quæ tàm temerè lata est adversus illum Sententia.

ARTICULUS X.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 277. num. 251. *Descendit ornata & ditata propter Deum, qui quidèm dedit illi quidquid voluit, & qui voluit dare illi quidquid potuit, & potuit illi dare, quidquid non est ipsum Dei esse.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Cum ea dona Deus Beatissimæ Virgini contulerit, quæ secundùm ordinem Sapientiæ illi conferre decebat, & in Evangelio manifestum sit, non omnia ei contulisse, quæ conferre potuit: Hæc Propositio falsa est, temeraria, & Evangelicæ Doctrinæ contraria.

CENSURA CENSURÆ.

Ista Censura *inepta, inconsulta, Honoris debiti SS. Virgini diminutiva, & Scandalosa.*

Ita notatam legi Propositionem cujusdam F. Joan. Morcelli Dominicani per novem Delegatos Censores à Sacrâ Facultate Anno 1497. quæ his verbis refertur. *Deus potest producere Creaturam puram in majori Gloriâ, quàm sit Virgo Maria de Potentiâ absolutâ.* Hæc Propositio planè coincidit cum Censorum nostrorum Sententiâ supra scriptâ, quâ fertur, Deum non contulisse Mariæ Virgini omniâ donâ quæ potuit conferre: Nam si Deus non contulit Mariæ omnia quæ potuit, potest ille Creaturam puram majori

Gloriâ ornare. Quâ verò Cenſurâ confixam olim putas illam F. Morcelli Propoſitionem? Lege *Licet ſit vera*, inquit *Sacra* Facultas Pariſienſis, *tamèn indiſcretè, infructuoſè, & ſine ædificatione Populi taliter prædicata.*

Quantò magis *inepta* & inconſiderata eſt Sententia DD. Deputatorum; Etenim vel de Potentiâ Dei abſolutâ loquuntur, vel dè Potentiâ ordinariâ: Si de priori, non inepta eſt tantùm illorum Cenſura, ſed etiam falſa, & calumnioſa. Nunquam enim Author ſcripſit Deum dediſſe Mariæ quidquid potuit de Potentiâ ſuâ abſolutâ: quinimò Maria inducitur ſic loquens 2. parte num. 84. *Quomodo Altiſſimus animam meam implevit bonis, ità & innumeras alias creaturas ditare æqualiter poterat, & ſupereſſet adhuc, quod in infinitum impertiretur: Et quanquàm liberaliſſima Manus illius nulli unquam tot tantaque Dona ſit largitura, quot mihi conceſſit, id non ità diſpoſitum eſt, quia aliter non potuit, ſed quia juxta Sapientiæ ſuæ Conſilia, ità ipſi placitum eſt, atque per voluntatem illius definitum.* Alibi quoque me legiſſe hoc in Opere memini, quòd *ſi plura Chriſtus Matri ſuæ non contulit, id non contigit, quaſi non potuerit, ſed quia ordini per Sapientiam Divinam conſtituto non congruebat.* Si de Potentiâ ordinariâ Cenſuram ſuam volunt intelligi, derogant Perfectioni SS. Virginis. Unde cùm idem prænotatus F. Morcellus prædicaſſet *Deum non poſſe de Potentiâ ordinariâ producere Creaturam in majori Gloriâ*, hanc propoſitionem damnavit tantummodò S. Facultas, eò ſenſu quò SS. Virgo æquipararetur Verbo incarnato. Sibimet concilietur S. Facultas, nec toleret in Cenſurâ, ſuo latâ nomine, quod ipſa damnavit olim in concione prædicti Dominicani: Quanquàm illud orationis genus liberum magis eſſe ſoleat, Cenſuram verò deceat irreprehenſibilem eſſe.

Nunc verò de Potentiâ ordinariâ diſſeramus, quid illa concipitur eſſe, niſi ipſamet Omnipotentia divina Decretis Divinæ voluntatis, & Conſilijs Divinæ Sapientiæ definita? quid intra terminos ſuos illa continet? Non utique merè poſſibilia, ſed quæ ſecundum inſtitutum à Deo rerum ordinem ſunt, vel præterita, vel præſentia, vel futura. Hoc poſito piè, atque probabilitèr dici poteſt, Deiparam accepiſſe à Deo, quidquid ille dare potuit puræ Creaturæ, ſcilicet ſecundum ſtatutas Leges Sapientiæ ſuæ, atque Beneplaciti ſui, quibus Potentia ordinaria temperata eſt, quaſque tales erga Deiparam eſſe conveniens videbatur, ut quidquid Donorum ſanctificantium atque dignificantium puris creaturis tribui decretum eſt apud Deum, totum illud vel formaliter, vel eminentèr Mariæ conceſſum eſſe credatur. Quod ſufficit, ut verè dici poſſit, Deum dediſſe quidquid potuit ſecundum præſentem rerum ordinem: quod idem eſt ac dicere, ſtatutum Potentiæ Divinæ ordinem nihil Gratiæ & Honoris in favorem cujusliber Creaturæ puræ continere, quod Virgo Deipara virtualitèr aut formaliter non habuerit.

Sic certè ſenſerunt, atque locuti ſunt SS. Patres. S. Hyppolitus ex antiquis orat. de ſanctific. *qui dixit, honora Patrem & Matrem*, inquit, *ut Decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem Gratiam Matri, & omnem Honorem impendit.*

S. Basilius Seleuciæ orat. de Annunt. Virg. inquit. *Qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquàm is à scopo veritatis aberravit, attamèn dignitatis magnitudinem nullâ unquàm oratione exæquabit.*

S. Gregorius magnus in lib. 1. Reg. c. 1. *Meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad Solium Deitatis evexit.*

S. Anselmus lib. de Concep. Virg. c. 4. *Quidquid unquàm dignum de aliquo extra suam Personam voluit Deus, perperàm est de te ô Beatissima Fœminarum, noluisse.*

Arnoldus Carnotensis de Laud. Mar. *Maria Creaturis constat omnibus: quidquid enim Creator singulis contulit, Matri adornandæ congessit.*

S. Bonaventura serm. 2. de Mariâ Virg. *Sic in summum Bonorum omnium culmen ascendit, ut Creatura aliqua non unita Verbo, nec perfectior, nec majoris Boni capacior sit.* Nunquid verò Creatura capax est omnis boni, quod Deus dare illi potest? Deus igitùr dedit Matri suæ quidquid potuit, si plus Creatura altera capere non valuit. Idem cap. 8. speculi, *Virgo est & Mater, quâ majorem Deus facere non posset: majorem Mundum Deus facere posset, majus Cælum, non majorem Matrem.*

S. Thomas 1. p. q. 27. art. 6. *Humanitas Christi, ut unita Verbo, & beata Virgo, ex hôc quòd est Mater Dei habent quandam Dignitatem infinitam, & ex hâc parte non potest aliquid fieri melius ipsis.*

Rutilius Bonzonius in psal. 86. c. 23. *Mensura Privilegiorum Mariæ solum ex Dei Potentiâ accipienda est juxta illud ab eâ prolatum, fecit mihi magna qui potens est, & illud Angeli, non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Gersonius super magnif. Trac. 4. not. 1. *Vis igitur brevi compendio Mariæ beatitudinem, vis notam tibi fieri, da ipsi per eminentiam quidquid in Creaturis Videris melius ipsum, quàm non ipsum & si non formalitèr, tamèn eminentèr.*

Denique S. Thomas de villâ novâ serm. 2. de nativit. Virginis. *Nòn eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi animo depingendam reliquit: ut intelligas nihil Gratiæ, aut Perfectionum, aut Gloriæ, quod animus in purâ Creaturâ concipere possit, illi defuisse.* His testimonijs quid Luculentius? Quid intento Ven. Matris consentaneum magis.

Quæ si non sufficiant alicui, superaddam quod de Gratiâ Christi dixit Doctor subtilis, cujus hæc sunt verba. *Probabile est secundum Magistrum*, scilicet Sententiarum, *quòd Deus ei tantam Gratiam contulerit, quantam potuit. In commendando enim Christum malo excedere, quam deficere à laude sibi debitâ, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Idem proportione servatâ dicendum de SS. Virgine. *Talis enim*, inquit S. Augustinus serm. 10. ad Fratres in Eremo, *talis suo modo Mater, qualis est Filius.* Quod & confirmari potest per illud Augustini de libero arbitrio, *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, scias hos magis fecisse Deum, quàm non fecisse*; atqui videtur simplicitèr melius, quòd Deus Matri suæ contulerit omnia Dona intra limites Potentiæ suæ ordinariæ contenta, quæ in puram Creaturam cadere poterant congruentèr: Igitùr piè, & laudabilitèr dicitur Deum dedisse Matri suæ quidquid potuit.

Conſtat autem nihil aliud intendiſſe Ven. Màtrem ex totô loci illius contextu. Quis enim ſcopus illius? Non alius profectò eſt, quam probare & explicare Conceptionem immaculatam per hæc verba Apoc. *Vidi Civitatem ſanctam, Ieruſalem novam, ... paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo,* & demonſtrare, quòd ex ornamentis Sponſæ, & Matri Dei convenientibus, Primum atque præcipuum fuit, omnis à peccato immunitas: quam proindè illi non negatam inſinuat per propoſitiones hujus articuli. Indè igitùr primum habemus, illam nihil quod excedat Dignitatem Mariæ Maternam per tres illas propoſitiones generales induxiſſe. *Nunquid Deus*, inquit illa, *ſuis in Theſauris reſervaſſet ornamenta deſideranda, ut Maria dignè & congruentèr diſponetur ad hoc ut eſſet ſponſa, & Mater Dei? Nunquid avarus ille fuiſſet erga Matrem, qui Theſauros ſuos profundit in ſervos &c.*

Deindè nè aliqua ſuſpicio oriatur, quòd voluerit Author Mariam in omnibus donis æquiparare Chriſto, ibidèm expreſſè habetur, *Deum conceſſiſſe Mariæ quidquid pura Creatura capax erat ſuſcipiendi*; At Chriſtus majoris Gratiæ capax erat, quam ulla Creatura ſecùndum præſentem & congruam Dei ordinationem: Ergò diſtinctionem ſufficientem innuit Author inter Chriſtum, & Matrem Chriſti, inter *Sponſum* & *Sponſam*, quam alibi & ſæpè qualem exoptare poſſis, invenies. Sic 3. part. num. 763. diſertè habetur, *Animam Chriſti ſanctiſſimam ultra omnem modum atque menſuram ſuperare Dotes omnes ſuæ Matris.*

Veniamus nunc ad illam Cenſuræ partem, quâ fertur, *manifeſtum eſſe in Evangelio Deum non omnia Mariæ contuliſſe, quæ conferre potuit.* Quô quid ineptius? Quid Honori SS. Virginis derogativum magis dici potuit? Quæ Dona ad ſanctificationem Mariæ ſpectantia (de his enim ibi ſermo eſt) denegata fuerunt illi juxta Evangelium? Vbinam iſtud manifeſtè apparet in Evangelio? Nihil tale obervavi ego, & nemo Catholicorum aliquid hujuſmodi animadvertet. Solus id notabit Hæreticus, qui Mariam ex Evangelio infidelitatis, negligentiæ, temeritatis, arrogantiæ convinci affirmabit. Ad hæc ut reſpondeamus, forsàn exigunt Cenſores.

Conſtat ex Evangelio, inquiunt, non revelatum fuiſſe Incarnationis Myſterium Mariæ Virgini, uſque ad tempus quô peractum eſt, ſaltèm quod ad circunſtanſtiam Maternitatis ipſius. Quid tum? Nonnè idipſum expreſſè docet Ven. Mater? Cur ergo damnatur, quaſi aliquid hâc in parte contrarium Evangelio aſſeruerit. Num illa tenuit uno, eodemque & primo inſtanti omnia conceſſa, quæ concedere Deus poterat, niſi fortè radicaliter atque virtualiter, quomodò fructus eſt in Gemmâ, & arbor in fructice? quinimò negat illa, conceſſam viſionem Beatiſſimam animæ SS. Virginis ab inſtanti Conceptionis, licet id nonnulli Authores propoſuerint tanquàm probabile, exiſtimans ipſa Privilegium iſtud proprium fuiſſe animæ Chriſti.

Neſcivit præterea, inquiunt, SS. Virgo Filium ſuum remanſurum in Jeruſalem inter Doctores. Deus potuit inſupèr eam à gladio, qui pertranſivit animam ejus eximere: hoc tamèn non datum eſt illi. Mirari ſatis non poſſum

tàm miserabile præsentis Censuræ fundamentum, sed & tàm evidentèr falsum; Etenim utrumque illud, quod objicitur tanquàm negatum, suo loco Ven. Mater docuit, ponens pro fundamento Mariam id nescisse, cujus nescientia conducere poterat ad majus meritum, & ad exercitium alicujus virtutis, atque ad ædificationem, & exemplum Fidelium, quibus in circunstantijs illud scire non fuisset perfectio simplicitèr: Augmentum enim virtutum & meritorum præcellit Gratijs gratis datis, inter quas censeri debet donum Prophetiæ, & prævisio cujuscunque eventus.

Indè patet responsio ad non concessam immunitatem à gladio compassionis, quod argumentum obsonum prorsùs & ridiculum est. Nunquid enim negabunt Christo collata fuisse omnia Dona, quæ de Potentiâ suâ definitâ conferre Deus poterat quantùm ad sanctificationem, quia concessum illi non fuit, ut transiret calix Passionis ab eo? Absurda consequentèr est ista Censura; talis tamèn quæ magnæ offensioni erit Fidelibus: Indè enim consequens arbitrabuntur plerique magnam, quam de SS. Virgine haberi decet opinionem contrariam esse Evangelio. Id autem quàm contrarium sit antiquo S. Facultatis Proposito ostendit supra relata Propositio F. Morcel. quæ licèt vera, damnata est; quia aliquantulum videbatur inter concionandum lædere devotionem & honorem SS. Virgini debitum: Quod & Censura alterius Propositionis ejusdem Prædicatoris paritèr demonstrat, quæ sic refertur.

Alia Propositio F. Morcel. *Problema est Virginem Mariam pulchriorem esse corporaliter Evâ.* Censura. *Hæc Propositio est temeraria, Laudis, & Dignitatis Virginis detractiva, falsa, dictis SS. PP. dissona, Sacræ Scripturæ verisimilitèr contraria, de Hæresi suspecta, & ideò revocanda.* Plures S. Facultatis Parisiensis Censuras similes invenire est adversùs Propositiones, quæ tantillum imminuere Honorem SS. Virginis videbantur. Sed ô Tempora! ô Mores! Nunc aliam cautionem contrariam adhibendam censent moderni Doctores, nè scilicet quidquam de Virgine sanctissimâ dicatur, quàm quod de Fide est. Quodnam autem antiqui illi verè Pij, ac Sancti Doctores de præsenti Censurâ Judicium ferrent? Quibus notis illam afficerent, cùm viderent eam tantum derogare Deiparæ, quantum eidem tribuere ipsi voluerunt. Frequentissimus apud SS. Patres de seipsis conquestus est, quòd prædicare, & extollere satis non possint Virginem Deiparam: Nunc ex oppositio conqueruntur Magistri nostri, quôd supra nimium illa colitur, & celebratur.

OBSERVATIO.
In Censuram suppositiam S. Facultatis Parisiensis.

Sententia DD. Deputatorum & Censura suppositia ijsdem terminis xscribuntur, ista in sexto articulo, illa verô in decimo, ut videre est legenti.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Cùm ea Dona Deus Beatissimæ Virgini contulerit, quæ secundum ordinem

Sapientiæ ſuæ ipſi conferri decebat; & in Evangelio manifeſtum ſit, Deum non ei omnia contuliſſe, quæ conferre potuit: Hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ Doctrinæ contraria art. 6.

Circa hanc Cenſuram velim animadverti tantùm, Cenſores idipſum loqui, quod reprobant. Etenim in Præfatione illi nomine Facultatis profitentur ſe Mariam universâ viſibili & inviſibili Creaturâ ſuperiorem reputare. Quod idem eſt ac dicere, Deum contuliſſe illi omnem, quam ſecundum præſentem rerum ordinationem conferre poterat Dignitatem, atque Sanctitatem. Alias illa Creaturis omnibus ſuperior in Gratiâ & Donis non eſſet. Si nempè alicui conceſſa fuiſſent aliqua Dona, quæ Perfectiones ſimplicitèr dici poſſent, quæque Virgo Deipara vel formalitèr vel eminentèr à Deo non accepiſſet.

ARTICULUS XI.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 278. Num. 252. *Denuntio ſemèl & ſæpiùs, èx vi veritatis & luminis, in quo video Myſteria iſta inefabilia, omnia Privilegia, Gratias omnes, omnes Prærogativas, & omnia Dona conceſſa puriſſimæ Mariæ, ipſâ Matris Dei Dignitate non exceptâ, pendere, & ducere originem, ſecundum eam, quæ ſit mihi manifeſtationem, ab eo quòd fuit immaculata, & plena Gratiâ in Conceptione ſuâ puriſſimâ; ita ut abſque hoc Privilegio cætera omnia imperfecta viderentur, & veluti magnificum Ædificium abſque fundamento ſolido, & proportionato.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Doctrina, quæ dogmata de SS. Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, ut Dei Maternitatem, perpetuam ejus Virginitatem pendere facit à Sententiâ, quæ de Fide Catholica non eſt: Falſa eſt, temeraria, & Fidem in Conciliis ſtabilitam infirmans.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *Viris probis, & Doctis prorſùs indigna eſt, Sacramenti S. Facultatis de Conceptione immaculatâ defendendâ, & exaltandâ itmera-*

tiva, & Pietati Fidelium circa idem Dogma adversans.

Indigna Viris probis & doctis. Nunquàm enim docuit Author piissima Dogmata Fidei, ut Dei Maternitatem pendere à Sententiâ Conceptionis immaculatæ; Sed ea pendere dixit ab ipsâ Gratiâ immaculatæ Conceptionis, quod longè diversum est. Hoc primum fraudulentèr & subdolè attribuisse Authori, ad captandam calumniandi occasionem, Viris probis indignum est. Utrumque verò illud scilicet pendere à Sententiâ Conceptionis immaculatæ, & pendere ab ipsâ immaculatâ Conceptione, pro uno eodemque asserto accepisse, ac indiscriminatim damnasse, Viris doctis paritèr indignum est: qui præsertim jactitant se omnia hujus Libri nasutè distringere. Quod exemplis clariùs patebit.

Magna Theologorum pars Prædestinationem pendere facit à prævisis meritis: quis illos propterea reprehendit, quasi Fidem Mysterij Prædestinationis pendere faciant ab Opinione antecedentis meritorum prævisionis?

Schola Subtilis Incarnationem quantum ad substantiam pendere facit à motivo divinæ Gloriæ independentèr à peccato: Quis propterea dixerit, quòd ità docens, capitale Incarnationis dogma pendere faciat, à probabilitate Opinionis, quæ tenet Adamo non peccante, Christum venturum?

Thomistæ repetunt libertatem à præmotione phisicâ: Propterea nè liberi Arbitrij Dogma pendere faciunt ab hâc Opinione suâ? Sanctus ipse Thomas Exemplum nobis suppeditat propius Scopum attigens; Maternitatem scilicet Dei pendere facit àb impeccantiâ actuali: ita quòd Maria non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquandò, 3. p. q. 27. art. 4. Damnandus igitùr est ipse, quasi Dogma Fidei pendere fecerit à Sententiâ, quæ non est de Fide.

Vides jam aliud esse, quòd unum pendeat àb alio in ordine objectorum, & quòd Fides unius Dogmatis pendeat à probilitate alterius Propositionis. Vt aliquod Dogma censeatur esse de Fide Catholicâ minimè requiritur, ut fundamentum ejus, & motiva quævis excogitabilia sint paritèr de Fide: Sed Dogma Fidei dicitur, quia revelatum est, & propositum àb Ecclesiâ tanquàm tale. Dogmate semèl stabilito tanquàm ad Fidem pertinente, unicuique liberum est fundamenta, seu motiva probabilia ejus materiàm spectantia investigare, & in hoc ferè tota est Theologia Scholastica.

Revertamur ad propositum, Mariam Virginem esse Deiparam, Dogma Fidei est, quia revelatum in Evangelio, definitum àb Ecclesiâ; quod Author firmitèr tenuit, at præclarè docuit: at Maternitatem Dei pendere à Conceptione immaculatâ, Opinio tantum est, eaque tutissima, atque piissima, quam sibi revelatam fuisse credidit Author. Ex hâc autem Opinione minimè sequitur, quod non debeat credi Maternitas Divina, si Conceptio immaculata non concedatur; Sed quòd probabilitèr, qui voluerit, existimet Mariam non idoneam futuram, quæ esset Mater Dei, nisi immaculata

ſemper fuiſſet : quod idem dixit *S.* Thomas de immunitate à peccato actuali.

Quidquid reſponderint in gratiam Diui Thomæ, hoc idem regeram pro noſtrâ Authore. Dicent *S.* Thomam de ordine executionis locutum ; quia ait loco citato, *quos Deus ad aliquid eligit, ità præparat, & diſponit, ut ad id inveniantur idonei* : Maria autèm non idonea eſſet Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando. Vnde reverà patet Maternitatem Dei primam fuiſſe in intentione, immunitatem verò à peccato actuali fuiſſe priorem tantummodò in executione ; ut ſolent eſſe diſpoſitiones præviæ : Alitèr verò ignominia Matris, inquit idem Sanctus ibidem, ad Filium redundaſſet.

Sed Ven. Mater eôdem prorſùs modô loquitur locô citatô, exponens hæc verba, *paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, docet nempè, *Mariam debuiſſe omni puritate ornari, ut idonea eſſet Dignitati Sponſæ, ſimul & Matris Dei. Si verò contaminata fuiſſet unquam labe peccati, hoc maximè indecens*, inquit, *fuiſſet Dignitati Matris Dei ; Cætera Dona indigna quoque viderentur Deiparæ, propter maculam, & ignominiam, quam ex primo peccato veluti contraxiſſet : quæ ignominia caderet quoque aliqnomodò in Filium, qui non ornaſſet, & ditaſſet eam ſecundum omnem affectum Sponſi & Filij.* Quæ omnia paritèr demonſtrant Maternitatem Divinam priorem in intentione, & poſteriorem in executione eô locô exhiberi.

Verùm ipſa articuli verba expendamus, *omnia pendent & trahunt originem*, inquit, *juxta revelationem mihi factam, ex eo quòd fuerit immaculata.* Viden executionis ordinem hic notatum ; non dixit, ex eo quòd debuerit eſſe immaculata, quod quidèm intentionis ordinem innueret. Sic autem locuta ibidem eſt de Maternitate Divinâ, *Debuit*, inquit, *eſſe immaculata, quia debebat eſſe Mater Dei* : At de Conceptione, *èx eo quod fuerit immaculata &c.* Ergo Maternitas Divina ſupponitur ibi prior in intentione, & Conceptio immaculata prior tantùm in executione, *èx eo quod fuerit*, nota tempus ibi præteritum ſignificari.

Inſupèr Sanctitas & Dignitas Deiparæ Virginis ibidem màgnifico Palatio comparatur, & Conceptio immaculata Deiparæ fundamento illius Palatij. Quænam eſt fundamentalis petra, niſi prima quæ ponitur, & ſuper quam lapides & tota ſtructura conſiſtit : At prima Gratia Mariæ conceſſa, eſt immunitas à peccato Originali, & ſuper illam alia omnia Dona quaſi conſtructa ſunt. Quare igitùr non vocaretur prima illa Gratia fundamentum Sanctitatis & Dignitatis Mariæ Virginis ? Scriptores omnes & Oratores ſacri dicunt eodem ſenſu Humilitatem Mariæ fundamentum eſſe Celſitudinis ejuſdem, uſurpantes ad hoc propoſitum verba ſequentia S. Auguſtini ſerm. 1. de verbis Dom. *Quantò erit majus ædificium, tantò altius ponitur fundamentum : Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Quod crimen ergò fingitur, cùm idem de Gratiâ Conceptionis immaculatæ ſcriptum legitur ? Nunquid illud eſt propoſitum Concionatorum & Theologorum, quandò aſſumunt pro Conceptione illud pſalmi, *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis.* Obſervan-

dum insupèr non dixisse Authorem, nullum fore fundamentum ædificij, illudque subruendum sine Gratiâ immaculatæ Conceptionis; Sed fundamentum aliud non videri satis solidum, & commensuratum ædificio: Non dicit paritèr absque illo Privilegio cætera non subsistere, sed ea non perfecta videri.

Quòd veró Maternitatem Dei primam omninò in intentione docuerit, manifestum est ex num. 200. *Cùm dignitas Matris Verbi*, inquit, *esset maxima, & principium, atque fundamentum Præcellentiarum magnæ illius Reginæ, proposita fuit Angelis*, &c. Et ex numero 234. ubi habetur, *ex Maternitate inquirendam, & metiendam esse Mariæ Magnitudinem, sicut ex Vnione Hypostaticâ exigitur qualis, quantusque sit Christus.* Lege insuper num. 191. 162. & sequentes. Attendere saltèm debuissent Deputati ad ipsas capitum inscriptiones, seu titulos; non potuissent non observare. cap. 4. 5. 6. & passim in sequentibus, ordinem intentionis in Prædestinatione Mariæ exponi, ibique Maternitatem primam collocari: à cap. vero 12. usque ad 17. de quo quæstio est, atque etiam sequentibus, ordinem executionis describi, secundum quem Conceptio initium, & origo est omnium Mariæ Privilegiorum.

Quæ quanvis Author non adeò Luculentèr, & clarè expressisset, in suspicionem tamèn vocari non debebat; cùm hoc capitale sit Principium Doctrinæ suæ dilucidè expositum cap. 4. & 5. Propterea dicit prædestinatam esse Mariam ante omnes puras Creaturas, quia prædestinata est, ut esset Mater Dei: & propter hoc etiam gratiæ plenitudinem ipsi preparatam fuisse ab æterno ante peccati prævisionem.

Hoc non suborari non potuerunt Censores Delegati, quia & expressè moniti, imò & convicti fuerunt. At occasionem illam tentare voluerunt, ut temerarent, & excuterent Juramentum dè Conceptione immaculatâ defendendâ, quod multi è Doctoribus ægrè omninò ferunt. Undè tres èx Deputatis, dè quorum numero Syndicus ipse est cum pluribus suis sequacibus, plura Juramento derogantia publicè dicendo in Comitiis Sorbonicis protulerunt: & præsertim Opinionem Conceptionis nutantem, dubiam, inutilem, & absque ullo fundamento esse; ac Viros Theologos minimè decere, ut disputent de tempore, ac modo Sanctificationis Mariæ, cùm id èx Scripturâ Sacrâ, & Traditione non constet. Undè magna animorum offensio, & persuasio publica, Doctores Sorbonicos reformare, & minuere velle Cultum Deiparæ.

NOTÆ.

In supposititiam Censuram S. Facultatis Parisiensis.

Deputatos atque Factiosos sua circa hunc articulum fefellit opinio, arbitrabantur enim majorem Doctorum numerum libentèr renuntiaturum Conceptionem immaculatam, eosque solitum facilè ejuraturos Sacra-

mentum: Verum èx oppoſito adeò vel èx hujus conſilij ſuſpicione exaſperati ſunt animi, tantuſque rumor in Civitate excitatus eſt, ut Cenſores non ſine verecundiâ, ſummâque vi, ad tumultum compeſcendum Sententiæ ſuæ attexere coacti ſint, quæ ſequuntur in duobus primis Liguis Cenſuræ.

CENSURA SUPPOSITIA.

Quanvis facultas Thcologiæ Pariſienſis tenuerit, & teneat SS. Virginem fuiſſe in ſuâ Conceptione à labe originalis peccati præſervatam; tamen hæc Doctrina, quæ Dogmata dè Sanctiſſimâ Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, ut Dei Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere aſſerit à Sententiâ, quæ dè fide Catholica non eſt, & ità pendere, ut alioqui fundamentum ſolidum non haberent: falſa eſt, temeraria, & Fidem in Conciliis ſtabilitam infirmans. art. 7.

Intelligere aut non potuerunt, aut noluerunt Cenſores, quòd Ven. Mater de Agreda nuſquàm, dixit Maternitatem Dei, quæ de Fide eſt, pendere à Sententiâ, quæ de Fide non eſt, ſed tantùm Maternitatem Divinam pendere ab immaculatâ Conceptione. Aliud autem eſſe, ac prorſùs diverſum ſatis ſuperque oſtendimus, dicere ſcilicet, quòd Fides alicujus Dogmatis Catholici pendet àb aliquâ Opinione, quaſi dubitare quis de Dogmate poſſet, ſi non conſtaret de Opinione; & dicere quòd Maternitas Divina pendet àb immaculatâ Conceptione, quanvis prima de Fide catholicâ ſit, altera non ſit: quod probabilitèr teneri poteſt, modo præſertim ſuprà expoſito. Idipſum R. P. de Lacolombiere Societatis Jeſu, Vir nunquàm ſatis prædicandus in ſerm. de Concep. immaculatæ Conceptionis Argumentum aſſummpſit; in primà parte docens Gratiam Conceptionis SS. Virginis eſſe omnium, quæ deincèps ei collatæ ſunt, inter gratias ſanctificantes maximam, quod ſolertiſſimé probat: & in ſecundâ concionis parte, illam ipſam eſſe fundamentum, & originem cæteratum omnium Gratiarum. Quam concionem typis mandatam carpere nemo auſus eſt, nec ullus jure poſſet. Idipſum innuunt omnes illæ rationes congruentiæ, quibus immaculatæ Conceptionis Dogma probatur.

Rurſùs additum eſt hâc in poſtremâ Cenſurâ, *Et ità pendere, ut alioqui fundamentum ſolidum non haberent.* Quod ità minimè protulit Ven. Author; Quippe plus dicit, qui ſine immaculatâ Conceptione Maternitatem Divinam fundamento ſolido carere aſſerit, ut dictum eſſe àb Authore falſò ſupponitur: Quàm qui dicit Dignitatem Mariæ ſine primâ illâ Gratiâ fore ſicut ſuperbum Platium ſine ſolido & convenienti fundamento. Quod reverà dixit: etenim omnis, ut aiunt, comparatio claudicat, minuitque vim rei aſſertæ.

Cæterum Dignitas illa fundamentum adeò ſolidum atque conveniens non habuiſſet, cui peccatum originale fuiſſet loco Gratiæ originalis ſuppoſitum. Quod quidem novum dicere, & inſolitum non eſt Conceptionis

immaculatæ defensoribus; at planè quadrat cum illâ usitatissimâ ratione, quòd alioqui Maria Virgo non idonea fuisset, quæ in Matrem Dei assumeretur.

ARTICULUS XII.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 325. num. 290. *Charitas illa erga Ecclesiam militantem magis eluxit in nocte, quâ perfusa est Ecclesia Christo mortuo, per administrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ, & per affectum ferventem, quo petiit, ut hæc Lex & Sacramenta ejus stabilirentur, cooperans omnibus*

CENSURA DD. DEPUTATORVM.

Hæc Propositio falsa est, temeraria, & erronea

CENSVRA CENSVRÆ.

Hæc Censura *malæ fidei est, temeraria, falsa, & Honori SS. Virginis derogativa.*

Malæ fidei. Cur enim Censores quod sequitur immediatè reticuerunt, *cooperans omnibus*, inquit, *sicut dicam suo loco?* Nisi quia judicasset Sacra Facultas examinandum esse locum, ad quem materia præsentis articuli remittitur plenius tractanda, antequàm præceps & cæca Censura ferretur. Et reverà qui tertium Tomum pervolvete voluerit, exploratum habebit, quòd talem Superioritatem & Gubernationem tribuit Author Mariæ post Ascensionem Filii sui, quæ nullatenùs derogat Authoritati Petri, & Potestati Apostolorum: Quinimò Obedientia & Humilitas illius ergà Supremum Christi Vicarium in Terris mirum in modum commendatur. Undè liquet non potuisse ferri censuram rectam dè hoc primo Tomo, àbsque accuratâ aliorum Tomorum notitiâ. Indè constat saltèm infidos fuisse Censores, qui Propositionem articuli mutilarunt, rescindendo hæc verba, *ut dicam suo loco.*

Propterea Exemplar Hispanicum habet vocem, *Magisterio*, quæ significat idem ac *Magisterium* Latinè, quæque minùs sonat, quàm vox Gallica *Gouvernement*; Quanquàm & ista satis generalis est, & significat omne

genus Regiminis & Administrationis, & consonat verbis Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ: Vocatur enim Virgo Sanctissima *Regina Apostolorum, Apostolorum Magistra. S.* Anselmus lib. dè excel. Virg. c. 7. *Erat*, inquit, *utilis & necessaria Fidei nostræ conversatio Virginis post Ascensionem Domini, quia licèt Apostoli per Revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint, incomparabiliter tamen evidentiùs, ac manifestiùs ipsa per eundem Spiritum Veritatis, illius vecitatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per Virginem revelabantur.* Rupertus lib. 2. de Gloriâ Filij Hominis circâ principium dicit, *eam post ascensionem docuisse Ecclesiam Mysteria Dei.* S. Bernardus serm. 4. in Missus est, dicit, *Mariam illuminasse Evangelistas secundum nominis sui ethimon, quod idem est ac illuminatrix.* S. Thomas in expositione Salut. Angel. ita loquitur, *non solum illuminata est, sed etiam illuminatrix, quæ propterea Soli & Lunæ compartaur.* Simeon Metaphrastes orat. dè Virg. refert, *illam mansisse in Sion post Ascensionem Filij, & ei tanquam Dei Matri Honorem ab omnibus delatum.* Similiter S. Brigitta, *erat enim*, inquit, *Magistra Apostolorum, Doctrix Confessorum* &c. Suarez denique in 3. p. disp. 19. pag. mihi 187. probat, *eam fuisse Fidei Magistram*, & explicat quâ ratione *hæresum interemptrix illa est.*

Temeraria consequentèr est Censura, quæ repugnat communi Sanctorum & Fidelium Sententiæ, *Erronea insuper, & Honori SS. Virginis prorsus adversa.* Damnat enim indistinctè, quòd amor Deiparæ erga Ecclesiam eluxerit post Ascensionem Christi, quòd pro fundandâ Ecclesiâ apud Deum interceserit, quòd primos Fideles precibus, consilijs, & exemplis suis juverit, quòdque delatus fuerit ei Honos conveniens in Regimine Ecclesiæ tanquàm Dei Matri, tanquàm Gratiarum Administræ, tanquàm Divinarum Veritatum Oraculo: Quanquàm id expressum non fuerit in actibus Apostolorum, nè daretur occasio Infidelibus insultandi Fidei Christianæ, dicendo, Fœminam ejus fuisse Fundatricem, & Propagatricem.

NOTÆ
In Supposititiam Censuram Sacræ Facultatis Parisiensis.

Tantum abest, ut in novâ Censurâ id adjectum fuerit, quòd desiderabatur in primâ, istud scilicet, *ut dicam suo loco*, quo expositio difficultatis hujus loci in alium remittitur; quinimò hæc dempta sunt, *per affectum ferventem, quo petiit, ut lex Evangelica & Sacramenta ejus stabilirentur, cooperans omnibus:* quia his verbis insinuatur, qualis fuerit Deiparæ Potestas, qualisve Potestatis usus, scilicet per fusas ad Deum preces, & per Consilia data Apostolis, congruamque sexui suo cooperationem. Ut autem omnes credant, ipsaque etiam Sedes Apostolica, cui fucum facere nituntur, existimet Authorem voluisse Petri Primatum, Supremamque Vicarij Christi Authoritatem evertere, ac Mariæ tribuere, sic Censuram novam contorserunt.

CENSURA SUPOSITITIA.

Hæc Propoſitio, quæ tribuit Sanctiſſimæ Virgini Regimen Eccleſiæ, falſa eſt, temeraria, & erronea. art. 8.

Verùm articulum notatum cum Cenſurâ conferat Lector, an ſcriptum inveniatur in articulo, quod Maria Virgo Regimen Eccleſiæ habuerit? cur igitur Cenſura mentitur? Equidèm innuitur in articulo aliqua Gratiarum adminiſtratio, aliqua per preces & Conſilia Authoritas, quam Deiparæ Virgini quis neget? Quod autem Regimen Eccleſiæ abſolutè habuerit, nullibi invenies, niſi in Cenſurâ. Sed quæ protervia noluiſſe locum, quem ad Poteſtatis hujus explicationem Author indicat, conſulere, nec deſignatum, oſtenſumque, ut reverà fuit Deputatis, attendere? quia ſcilicet hæc cavillandi, atque calumniandi occaſio ipſis erepta eſſet. Enimverò in 3. p. ut obſervatum eſt ſuprà, Maria Virgo tanquàm perfectiſſimum humillimæ promptiſſimæque Obedientiæ ſupremo Chriſti in Terris Vicario debitæ Exemplar proponitur, & ita ſumma Apoſtolorum erga illam Reverentia exponitur, ut nec hujus Humiliati, aut ſexus Conditioni, nec illorum Authoritati quidquam derogetur.

Incivile eſt, ut jure recepto fertur, *niſi totâ Lege perſpectâ unicâ ejus particulâ propoſitâ judicare*, incivile ff. de Lege. Temerarium paritèr & iniquum non explorato Opere integro èx unâ voculâ æquivocâ, qualis eſt iſta *Magiſterio*, *Gouvernement*, Librum refigere. Hâc fraudulentâ ſuâ agendi ratione voluerunt Authori Sapientiſſimæ conflare invidiam, vel in ipſâ Curiâ Romanâ: At id continget, ut ſperò, quod S. Auguſtinus pronuntiavit ſerm. Dom. in monte c. 2. & c. 6. *Iudicandi temeritas*, inquit, *nulli plus nocet, quàm ipſi Iudici.*

ARTICULUS XIII.

INDICIS PROPOSIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAag. 337. num. 301. *Cùm Divina illa Regina loquendo de ſè ipſâ dixerit, per me Reges aſſumptos ad thronum, & in illo ſervatos: per me ipſam Principes imperare, Potentes Terræ adminiſtrare juſtitiam* (& in margine notatur cap. 8. Prover. v. 15. & 16.)

CENSURA

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Cùm ſolus Spiritus Dei locutus fuerit per Scripturas, hæc Propoſitio, quæ inducit SS. Virginem dicentem deſe, quòd ipſa dixerit Proverbiorum 8. per me Reges regnant &c. falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *Stolida eſt, falſa, temeraria, Honori Verbi Dei, & Virginis Deiparæ, nec non Eccleſiæ ſenſui contraria.*

Immiſit certè Dominus Spiritum vertiginis in hoſce Sapientiſſimos. Quid enim iſtud ſignificat, *Cùm ſolus Spiritus Dei* &c. Idem ſanè, ac ſi quis diceret, *Cùm ſolus Spiritus Dei locutus fuerit per Scripturas, hæc Propoſitio, quæ inducit* SS. *Virginem dicentem deſe, Fecit mihi magna, qui potens eſt &c. falſa eſt, & temeraria.* Bone Deus! qualis lapſus capitis? Itané ſolus Spiritus Dei loquitur in Scripturis, ut neminem loquentem inducat? Quanquàm igitùr verum eſſet, Mariam nullatenùs ſic loqui potuiſſe in Proverbiis, non minus ſtulta remanet adducta iſta ratio, *Cùm ſolus Spiritus Dei.*

Quid ſibi volunt præterea iſta verba, *dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit?* An in illâ capitis vertigine videbant omnia duplicia? Exhibetur quidèm SS. Virgo dicens de ſe, quod *per ipſam Reges ad thronum aſſumpti ſunt* &c. non verò dicens de ſe, quod ipſa dixerit, neque enim illa loquitur ibi in primâ Perſonâ, nec inducitur dicens expreſſis verbis, *per me Reges regnant.* Non debet autem Cenſura mutare Propoſitionem, ſicut nec debuit adjici textui citatio marginalis: Citationes enim hujuſmodi plerunque Authorum non ſunt, præſertim in Operibus poſthumis.

Falſa inſuper, & *temeraria*, eo ipſo quòd manifeſtæ falſitatis, & temeritatis incuſat uſum pium, & probabilem præfati contextus Proverbiorum. Quod enim dicunt Mariam nondùm natam eſſe, quandò edita ſunt Proverbia, nec proindè in illis loqui potuiſſe, miſerum effugium eſt, & Doctoribus prorſus indignum. Chriſtus enim quatenus homo non erat tempore Pſalmorum, quotiès tamèn per Spiritum S. inducitur loquens tanquàm Homo? v. g. ubi habetur, *Dinumeraverunt omnia oſſa mea* &c. *In ſiti meâ potaverunt me aceto* &c. *Ego autem in flagella paratus ſum* &c. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi* &c. Nondùm erat Virgo Deipara, neque nova Chriſti Eccleſia, proùt ſub Lege Gratiæ conſtituta eſt (alias enim cœpit ſub Lege Naturæ) Veruntamèn utrique tribuunt plerique Patrum & Interpretum, quæ in Proverbiis & Canticis habentur.

Illa ipſa verba per me Reges regnant, attributa SS. Virgini per Eccleſiam, leguntur in Officio Feſti S. Mariæ ad nives, & in aliis Feſtis ejus: Ex eodem cap. 8. Lectiones, & Epiſtolæ exſcribuntur, & exhibetur Virgo modò dicens, *Dominus poſſedit me in initio* &c. modò, *Ab initio & ante ſæcula creata ſum,*

&c. Quid repugnat igitùr Authorem noſtram duce Eccleſiâ reſpexiſſe ad hæc verba, *per me Reges regnant*, quibus Ruperrus ſimilitèr uſus eſt lib. 3. in Cantic. in iſtud, *Veni cororaberis.*

Quotquot ſunt Reges & Principes Catholici adeò cordi infixum habent hæc verba Mariæ Virgini convenire, ut ſe, ſuaque Regna, ſubditoſque ſuos, ac ſ omnia ad Regimen ſpectantia devoverint Angelorum, Hominumque Imperatrici. Quod Ludovicus 14. verè Chriſtianiſſimus præſtitit per ſolemne Votum ad inſtar piiſſimi Patris. Decretum Ludovici juſti eſt diei 10. Feb. 1638. Decretum verò Ludovici magni eſt diei 25. Mart. 1650.

Denique *contraria* eſt prædicta Cenſura *honori, quem debemus Verbo Dei ſcripto, nec non Beatiſſimæ Virgini*, imò *& Eccleſiæ*. Nam dè Verbi Dei ſcripti Dignitate, imò & Veritate eſt, ut plures poſſit habere ſenſus. Unde S. Thomas in Opuſc. de potent. q. 4. a. 1. *Omnis veritas*, inquit, *quæ ſaluâ litteræ circunſtantiâ Scripturæ Sacræ aptari poteſt, eſt ejus ſenſus.* Vide Tractatus innumeros de Verbo Dei, ſi plura deſideras. Injuriam igitùr infert verbo Dei, qui ad unicum ſenſum illud coarctat: Spiritus enim Sanctus plures involvit ſenſus in Scripturis, quàm valeat ſpiritus humanus ſcrutari & exprimere.

Quòd verò Mariam ſæpius deſignare voluerit, liquet ex S. Bernardo, qui ſerm. 1. ſuper Salve Regina ait, *De hâc, & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt*, & alibi, *Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia enigmata concurrunt Scripturarum* &c. Ex S. Ildelfonſo Lib. de Virg. Mar. Ex S. Andrea Cret. orat. de Annunt. & de dormit. Mariæ. Ex S. Germano Conſtant. orat. de nativit. Virginis. Ex S Laurentio Juſtiniano lib. de caſto connubio verbi & animæ. Et demùm èx generali Scriptorum Eccleſiaſticorum, & Sacrorum Oratorum, imò & Eccleſiæ praxi, ac Sententiâ. Erronea igitùr & propremodùm impia eſt Sententia illa, quæ judicat falſum, temerarium, & verbo Dei contrarium, quod textus aliqui Scripturæ veteris Teſtamenti convenientes SS. Virgini juxta communem Fidelium ſenſum, eidem tribuantur.

NOTÆ.
In ſuppoſititiam Cenſuram S. Facultatis Pariſienſis.

Deputatorum capita, quæ vertigine ſuprà notavimus laboraſſe hoc in articulo, tàm diuturnâ curatione, qualis per examen ipſorum Sententiæ tentata eſt, minimè reſtitui potuerunt; ceciderant primùm in foveam, nunc in puteum præcipites ſe dederunt: ſic enim appellanda venit poſtrema Cenſura. Lector ipſe ſit Judex.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Cùm perſpicuum ſit verba cap. 8. Proverbiorum de ſolâ Sapientiâ increatâ vel incarnatâ juxta SS. Patrum unanimem conſenſum ad litteram eſſe intelligenda, & declaraverit Author in Libro pag. 61. Deum ad litteram in eo ca-

pite de Verbo incarnato , & SS. ejus Matre locutum fuisse: Hæc Propositio , quæ inducit SS. Virginem dicentem de se , quod ipsa dixerit Proverbiorum 8. per me Reges regnant &c. falsa est , & temeraria. art. 9.

Nuntium itaque remiserunt Censores Spiritui Sancto , ad quem in primâ suâ Sententiâ confugerant his verbis nunquàm satis demirandis, *Cùm solus Spiritus Dei locutus fuerit in Scripturis* , & in ejus locum omnes Patres unâ voce in subsidium Censuræ suæ advocaverunt. An illi omnes vocati venerint , & celebrato novo Concilio cum Deputatis Facultatis unanimem consensum Censuræ illorum accommodaverint , nescio. Quòd si id Deputati præstitum affirment , ego pro meâ erga illos reverentiâ non inficiabor. Si verò negent , proferant igitùr SS. Patrum testimonia , èx quibus constet , illos unanimi consensu docuisse , caput 8. Proverbiorum ad litteram intelligendum esse de solâ Sapientiâ increatâ vel incarnatâ : Saltem èx omnibus , vel unum designent , qui sensum hujus capitis ità definierit.

Non inficior SS. Athanasium , Cyrillum , Gregorium Nazianzenum , Augustinum , Bedam , & alios aliquos nonnulla hujus capitis verba Sapientiæ increatæ , & incarnatæ attribuisse. Sed quæstio vertitur , utrum unanimi consensu isti , aliique dixerint caput istud 8. Proverb. ad solam Sapientiam increatam vel incarnatam pertinere. Quòd si asserere potuissent , abluissent certè à litterâ , cujus ingenuus primariusque sensus cadit in Sapientiam Idealem , de quâ non in toto hoc capite tantum , sed etiàm in toto Libro agitur.

Idealem Sapientiam dico , Ideam Sapientiæ ex omnibus sive Divinæ sive creatæ *Sapientiæ* Legibus , & Prærogativis efformatam ad instar Personæ , cui per Prosopopæiam voces , & sermones aptantur : Cui proindè nunc ea quæ Dei sunt , nuc quæ hominibus tantùm conveniunt attribuuntur. Undè sicut quandò Plato Rempublicam perfectissimam animo finxit , non Rempublicam *Spartanam* , non Atheniensem propriè descripsit ; Ut cùm Cicero Oratorem suum delineavit , non de Demosthene , nec de Hortensio sermonem primariò habere contendit : Ità nec Salomon Sapientiam solam increatam , aut incarnatam , nec Sapientiam humanam solam spectavit , sed Sapientiam generatim & abstractivè sumptam. Et Sanè de illâ Sapientiâ sermonem instituit , quæ eodem cap. 8. Prudentia , & Disciplina , & Astutia dicitur. *Sapientia* , inquit , *clamitat* , *& Prudentia dat vocem suam* , *intelligite parvuli Astutiam* , *audite Disciplinam* , *& estote Sapientes* &c. quæ nomina Sapientiæ Personali Dei minimè conveniunt. Loquitur Salomon de illâ *Sapientiâ* de quâ capite præcedenti dixit, *dic Sapientiæ Soror mea es* , *& Prudentiam voca amicam tuam* ; quæ hoc ipso capite inducitur dè seipsâ sic loquens. *Ego Sapientia habito in Consilio* , *& eruditis interfum cogitationibus* : dè quâ capite sequenti habetur , *Initium Sapientiæ timor Domini.* An verò Sapientiæ increatæ aut incarnatæ talia ad litteram conveniunt ?

Si autem sensus magis litteralis , & proprius istius textus *Per me Reges regnant* &c. investigandus est , hic ille profectò est. *Reges per me justè & prudenter regnant , me scilicet virtute Sapientiæ eos regente & docente.*

S. Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei, ad Deum hæc immediatè refert: indicat tamèn hæc alio ſenſu nempè de Sapientiâ virtute accipi poſſe. Falſum proindè eſt, & omnimodè falſum, quòd ex unanimi Patrum conſenſu, hæc verba, & caput iſtud 8. integrum de ſolâ Sapientiâ Perſonali Dei, quæ Verbum Divinum eſt, intelligi poſſint ac debeant. Quâ igitur vel ignorantiâ ſenſuum Scripturæ, vel impudentiâ id tanquàm perſpicuum, atque certum proferunt in Cenſurâ ſuâ, quæ caſtigatiſſima eſſe debuit?

Hæc obſeruatio, inquies, non minùs pugnat adverſùs Authorem, quàm contra Cenſores illius: Hæc enim aſſerit, ut Cenſurâ notarur, Deum in eo capite dè Sapientiâ incarnatâ, & SS. ejus Matre locutum fuiſſe. Verùm illud ſaltem jam evici, quòd eo ipſo quòd expanderunt rete capti ſunt Cenſores, cùm evidentiſſimum ſit, caput iſtud octavum dè Sapientiâ in creatâ vel incarnatâ juxta ſenſùm primarium, quem littera contextus reddit, non eſſe intelligendùm, ſed de Sapientiâ generatim ſumptâ; quæ quidèm non nihil ibi de Sapientiâ eſſentiali Dei, non verò de Sapientiâ Perſonali & incarnatâ mutuatur. Eatenùs inſupèr plus percaverunt illi, quàm Author pijſſima, ſi hanc tantillum declinaſſe impræſentiarum detur; quòd ſcilicet illi de ſolâ Sapientiâ increatâ, & incarnatâ caput iſtud intelligendum pronuntiarunt: illa verò ſenſum ſibi, ut exiſtimat, revelatum exponens, alios ſenſus, aut magis litterales, aut myſticos non excludit.

Sed nullatenùs àb Authore peccatum exiſtimo; Hæc ſcilicet illorum Opinionem ſectata uidetur, qui multiplicem ſenſum ejuſdem Scripturæ Sacræ textus, eumque litteralem, de quo ſolummodò quæſtio eſt, non repugnare, imò & Verbi Dei Majeſtatem, & amplitudinem decere contendunt. Ut S. Thomas 1. p. q. 1. a. 10. & alibi. Abulenſis in cap. 2. Math. Salmeron proleg. 8. Quibus favent S. Hieronimus epiſt. 103. ad Paulin. S. Auguſtinus lib. 2. confeſ. c. 31. & S. Bernardus ſerm. 51. in Cantic. Undè conſequens eſt caput 8. Proverb. & de Sapientiâ Ideali, & de Sapientiâ incarnatâ, & de ejus Matre litteraliter intelligi poſſe, prioremque ſenſum à Salomone, poſteriorem verò à Spiritu Sancto intentum eſſe. Sic illud Caiphæ dictum, *expedit vobis, ut unus homo moriatur pro Populo* duplicem habet ſenſum, unum Politicum, quem animo tenebat Pontifex, alterum Propheticum, quem illius ore ſignificabat Spiritus Sanctus. Sic quod dicitur 2. Reg. 7. *Ero ei in Patrem, & erit mihi in Filium*, de Salomone primùm ad litteram dictum eſt, & de Chriſto rurſus ad litteram, ut videre eſt Epiſt. ad Hebr. Ut autem exemplum ſit de ipſâ Virgine Sanctiſſimâ, hæc Geneſis verba, *inimicitias ponam inter te, & mulierem*, litteralitèr de primâ Evâ intelligi poſſunt, & litteralitèr ad ſecundam Evam Deiparam referuntur à S. Cypriano lib. 2. teſtim. adverſùs Iudæos c. 9. Epiphanio lib. 3. adverſùs hæreſes. Hieronimo, ſive Authore Epiſt. ad amicum ægrotum. Ruperto lib. 3. de Trin. c. 19. aliiſque.

Adnotari velim inſupèr Ven. Authorem hujus Libri nunquàm dixiſſe hæc verba, *Per me Reges regnant*, ad litteram eſſe de SS. Virgine inteli-

genda ; neque magis repugnare, quòd Deipara in expoſitione capitis octavi Proverbiorum adjungatur Filio, quàm in Prædefinitione & Prædeſtinatione divinâ; Sed tenetur probabilitèr & piè SS. Virginem unà cum Filio ante omnes creaturas prædeſtinatam eſſe: & juxta hanc Opinionem pleraque verba capitis 8. Proverbiorum appoſitè illi unà cum Filiò ſuo conveniunt. Quid ergò falſi, & verbo Dei contrarii in hac illorum uſurpatione redargui poteſt? præſertim cùm Eccleſia & Scriptores Eccleſiaſtici, atque Concionatores ſex poſtremorem Sæculorum hæc ipſa *Per me Reges regnant* &c. ac ſequentia *Dominus poſſedit me* &c. *Ab initio & ante Sæcula creata ſum* &c. ad eandem piè retulerint.

Quam conſultiùs atque ſapientiùs S. Auguſtinus lib. 12. confeſ. c. 31. dè variis Scripturæ ſenſibus à diverſis Interpretibus traditis, judicavit, *Cùm alius, inquit, dixerit, hoc ſenſit* (Sacer Scriptor) *quod ego: & alius, imò illud, quod ego; religioſius me arbitror dicere, cur non utrumque potiùs, ſi utrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omninò aliud verum quiſpiam in his verbis videt. Cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus Sacras Litteras multorum ſenſibus temperavit? Nolo itaque Deus meus tàm præceps eſſe, ut hoc virum illum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omninò in his verbis, atque cogitavit, quidquid hic veri potuimus invenire, & quidquid nos nondùm potuimus, & tamèn in eis invenire poteſt. Poſtremò Domine, qui Deus es, & non caro & ſanguis, ſi quid homo minus videt* (in Scripturâ Sacrâ) *nunquid & Spiritum latere potuit, quidquid eras in eis verbis revelaturus Legentibus, etiam ſi ille per quem dicta ſunt unam fortaſſis ex multis veris Sententiam cogitavit?*

Hanc præclari iſtius Doctoris Sententiam æquiſſimam & ſuaviſſimam conferas quæſo, cum ſummâ Cenſorum noſtrorum arrogantiâ, qui non alium Scripturæ ſenſum, quàm ſuum admittunt. Ego quidèm S. Auguſtini mentem ſectabor, & quam tradidit Ven. Mater de Agreda intelligentiam cap. 8. Proverbiorum reverentèr ſuſcipiam, aliâ quâvis paritèr verâ, atque ſanâ minimè rejectâ.

ARTICULUS XIV.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 372. num. *Altiſſimi potens brachium cœpit tunc in illâ operari nova Prodigia, altrà quàm homines cogitare poſſunt. Primum omninò in-*

ſolitum iſtud fuit. Demandata eſt Angelorum multitudo præter numerum, qui tollerent in Cælum empireum corpus ſimùl & animam illius, quæ electa fuerat in Matrem Verbi æterni; & Principes Beati illicò obtemperantes ſuſceperunt amabilem hanc Infantem de manibus matris ipſius Annæ; & ſolemnem inſtituerunt procedendi pompam.

Pag. 433. *Sæpè aſſumebatur ſecundum corpus in Cælum, volente Deo, per Miniſterium Angelorum.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, erronea, & Doctrinæ communi SS. *Patrum, & Eccleſiæ contraria.*

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *omni nimio major eſt omninò temerariâ, atque SS. Patrum, & Eccleſiæ affectui, & Pietati erga SS. Virginem repugnans.*

Quod ut probetur prænotare expedit, quod habetur cap. 6. Prologi Cardinalis de Turrecremata in Revelationes S. Brigittæ, de modo procedendi in examine 123. articulorum ex Libris earundem Reuelationum excerptorum, & per Æmulos præſentatorum Cardinali S. Petri Iudici Fidei in Generali Concilio Baſileenſi: Scilicet uniuſcujuſque articuli declaratam fuiſſe tertio loco veritatem, aut poſſibilitatem, ubi de veritate ſatis conſtare non potuit.

Non facile eſt veritatem præſentis articuli aliundè probare, quam èx ipſâ Revelatione Vener. Matris. Nullibi namque fertur expreſſum Privilegium illud talibus cum circunſtantiis. Legi equidèm apud Tirinum in Ierem. c. 17. ver. 12. quòd ad illa verba, *Solium Gloriæ altitudinis a principio*, Rabbi Moyſes., & Haccados, ac ex iis Galatinus l. 7. de arcanis Fidei c. 10. per *Solium* intelligi volunt B. Virginem Mariam, quæ à *principio* ſuæ Conceptionis abſque peccato originali, evecta fuit in Solium, & Thronum Altiſſimi: ſed inde magna authoritas non accedit ad articulum noſtrum.

Convertimur proindè ad demonſtrandam poſſibilitatem illius; Si enim conſtat de poſſibilitate, inſinuabitur probabilitas: & ubi debiliora videbuntur probabilitatis argumenta, ad motiva credulitatis recurremus. Poſito namque, quòd id abſolutè revelari potuit, cauſa devolvitur ad quæſtionem, utrum fidem Ven. Mater mereatur, quæ id ſibi revelatum fuiſſe denuntiat? & ſic quæſtio de poſſibili deſinit in quæſtionem de facto. Hunc procedendi modum in Concilio Baſileenſi, & ab omnibus Revelationum Arbitris & Judicibus, qui fuerunt unquàm, probatum, nemo damnare poteſt, ſi tamèn intra limites poſſibilitatis Fides & Doctrina communis Eccleſiæ ita concludantur, ut quod ipſis contradictorium fuerit, impoſſibile habeatur.

Dicant nunc Cenſores Delegati, num articulus iſte ſibi videatur èx ipſis terminis repugnare? Audebunt fortè illum abſolutè & èx ſe impoſſibilem pronuntiare? Cui igitùr Fidei articulo contradicere illum animadverterunt? Prodant, ſi quid huic manifeſtè contradictorium definitum tanquàm de Fide fuit? Sunt equidèm nonnula generalia Scripturæ, & *SS.* Patrùm Teſtimonia, quæ objici poſſunt. Sed nunquid occurrunt quoque multa, quæ & Conceptionis immaculatæ Gratiam, & Aſſumptionis corporeæ Privilegium oppugnare videntur? Quid hæc & illa, niſi Propoſitiones generales ſunt, quæ exceptionem admittunt in gratiam Deiparæ Virginis?

Clauſum erat Cælum, inquiunt, ante Chriſti Aſcenſionem. Fateor. Sed quâ de cauſâ, niſi propter Adæ peccatum? Et quibus, niſi iis qui contraxerunt illud? Non clauſum fuit Angelis, nec clauſum fuiſſet Hominibus in ſtatu naturæ puræ. Cur ita omninò clauſum fuiſſet SS. Virgini, quæ Angelorum puritate, & ſtatum Naturæ puræ candore ſuperat innocentiæ?

Redemptione Chriſti indiguit: Indiguerunt & ſuo modo Cæleſtes Spiritus. Communis Eccleſiæ & SS. Patrum Doctrina eſt, Chriſtum aſcendiſſe primum omnium in Cælos, illoſque cæteris aperuiſſe. Quis id negat? At verò ſtat integra Doctrina iſta cum præſenti articulo; Quomòdo enim dicitur primogenitus èx mortuis, primuſque mortis, inferique triumphator, eodem modo dici poteſt primus aſcendiſſe in Cœlum, & illud aliis reſeaſſe: Sicut autem primus non dicitur in Reſurrectione, quaſi nullus reſurrexerit ante eum, ſed quia primus reſurrexit, ne moreretur iterùm, & quia ipſe propriâ uirtute, & in virtute ejus cæteri omnes quoque reſurgere habent cum corporibus ſuis. Idem quoque de ſuâ Aſcenſione dicendum eſt. Maria autèm rapta dicitur in Cælum ante Aſcenſionem Filii; ſed tranſeuntèr, & ad modica temporis inſtantia, nec propriâ virtute: & ita introivit, ut aditum cæteris non aperuerit. Hoc igitùr non obſtante Chriſtus primùm nobis Cælum aperuit, primuſque aſcendit ad Dexteram Dei, ut ibi perennè, & in æternum ſedeat, electos ſuos ad ſe aſſumpturus.

Majus ſanè aliquid eſt Deum intuitivè videre, quam rapi ſecundum corpus ad Cælos. Iſtud conceſſum eſſe ſæpius hâc in mortali vitâ B. Mariæ Virgini contendit numeroſa Scriptorum illuſtrium, & probatorum turma, quanvis Scriptura Sacra expreſſè habeat, *Nemo vidit Deum unquam. Non videbit me homo, & vivet.* & hæc piaSententia conſonat Opinioni plurium ex antiquis, & celebrioribus Eccleſiæ Patribus, qui exiſtimarunt hujuſmodi Privilegium Adamo, Moyſi, Eliæ, Stephano, &c. fuiſſe conceſſum. Quis tantus error igitùr, quæve tàm enormis temeritas dicere raptam Virginem Deiparam aliquandò in Cælum, dùm in Terris degeret?

Id fortè ſine exemplo eſt? Nec tamèn propterea negandum eſſet; Sine exemplo enim Maria Virgo & Mater: Sine exemplo Maria Mater Dei, ut refert Beda Lib. 4. c. 49. in c. 11. Lucæ, *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſe-*

quentem. Singularem Virginem decuit Privilegium singulare. Verùm raptus est Paulus usque ad tertium Cælum, *sive in copore*, inquit equidèm ille, *sive extra corpus nescio*; *Utrumque tamen*, ut observat S. Ambrosius, *confirmavit, quia utrumque fieri non negavit, ut sine corpore rapi potuisset, & in corpore: Non enim dubitat adhuc mortale corpus potuisse levari ad Cælos, & tolli in Paradisum Dei Patris Cælestem.* Undè Rupertus Lib. 3. in Cantic. *Si quispiam dicit raptum se fuisse in Paradisum. quantò magis tu Regina Cælorum persæpè Cælestibus interfuisti.* Sophronius quoque antiquus Author ser. de Assumptione inter Opera S. Hieronimi, *Conversabatur cum Senatoribus Cæli intra Curiam Paradisi.*

Hæc præterea Opinio invaluit, scilicet toto tempore, quod àb Ascensione ad Assumptionem effluxit, modò SS. Viginem raptam fuisse in Cælum, ut semèl Paulo contigit, modò Christum de Cælo descendisse ad Matrem suam invisendam, ut in gratiam Pauli aliorumque multorum feciſſe legitur. Quid tàm odiosum, tàmque non ferendum Author nostra superaddidit huic piæ Opinioni? Anticipationem, ut ita dicam temporis; nimirum extendit ad ipsum tempus Infantiæ, quod Senectuti SS. Virginis alii reservarunt. En igitùr rem deductam ad quæstionem de tempore: & hæc quidèm minùs movere nos deberet, quàm recens illorum Opinio, qui cùm viderent plures existimare, quòd Privilegium Visionis intuitivæ transistoriè concessum fuerat interdùm SS. Virgini post incarnationem, illud idem concessum ipsi statim post Conceptionem prædicaverunt. Sic primùm Hieronimus a Florentiâ, qui erat Philippo 3. Hispaniarum Regi à Concionibus, Sic Suarez, Salazar, Antonius Salmaticensis, Poiré, aliique multi. Hoc tamèn Privilegium fuisse pro instanti Conceptionis singulare Christo arbitratur Ven. Mater.

Ego certè nullam Opinionem ad majorem SS. Virginis Gloriam sine Fidei dispendo conducentem damnare vellem; Sed potiùs cum Petro Cellens. lib. 6. epist. 23. dicerem, *Cataractas Cæli, & fontes abyssi libentiùs in obsequium Virginis solverem, quàm clauderem: & si Filius ejus Iesus aliquid omisisset in prærogativâ exaltationis suæ Matris, ego servus, ego mancipium, non quidèm de effectu, sed saltèm de affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam meam, aut eligerem non habere animam, quàm vellem ejus extenuare Gloriam.*

Pium istud erga SS. Virginem Studium acceptum esse sibi diu multumque probavit Ecclesia, conatus & æmulationem Scriptorum & Oratorum suorum inscrutandis & propalandis Mariæ Privilegijs, laudando, atque remunerando. Attendant saltèm quorum Studia èx adverso sunt, veriti, nè nimium tribuatur Matri Omnipotentis Verbi Dei àd illud S. Augustini lib. 11. de pec. orig. c. 23. *Longè alitèr habent se quæstiones, quæ ad Fidem pertinent, & illæ in quibus saluâ fide, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut alitèr quàm est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur. Quis enim non sentiat in his, & multa ignorari saluâ Christianâ Fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici Dogmatis crimine.*

Ad

Ad Silentium SS. Patrum & Scriptorum circa istam quæstionem respondendum est cum Vincentio Lirinensi in commonit. *Quòd antiqua SS. Patrum consentio non in omnibus Divinæ Legis quæstiunculis, Sed solum in Fidei Regulâ magno nobis studio, & investiganda, & sequenda.* Porrò quid ad Fidem iste articulus? quod scandalum, quod damnum emergere potest ex illius assertione? Temeraria est, inquiunt. Quo èx capite? An temeraria dici potest, quia jubentibus Superioribus èx Obedientiâ, & cum plenâ submissione correctioni Ecclesiæ scripsit ea, quæ sibi divinitùs revelata credidit. Poterant ei non credere Censores; sed illam temeritatis, falsitatis, & erroris insimulare circa Articulum, qui & verus esse potest, & potuit revelari, idque nullo præhabito examine probabilitatis, seu credulitatis revelationis hujus, seque proclives adeò præstare in damnando quidquid in majorem Deiparæ exaltationem cedere potest: Hoc est sanè *temeritatis*, *Studijque adversus SS. Virginem*, proindeque *contrarij Fidelium Pietati* notas meritò incurrere. Hæc levitèr & brevitèr attigi. Plura inter Notas Tomi primi invenies, & quæ Virum quemlibet cordatum moveant, sin minus ad positivè approbandum istum articulum, saltèm ad hunc temerè non damnandum, ad instar plurimarum Opinionum piarum, quæ nec approbantur solemnitèr, nec paritèr damnantur.

NOTÆ
In Supposititiam Censuram Sacræ Facultatis Parisiensis.

Ut animadvertere possit Lector Studiosus quid discriminis, aut convenientiæ inter Sententiam Censoriam DD. Deputatorum jamjam refixam, & Censuram Supposititiam modò expungendam, istam hic exscriptam habet.

CENSURA SUPPOSITIA.

Hæ Propositiones falsæ sunt; temerariæ, & contrariæ Verbo Dei, Joan. c. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum.* Hebr. c. 6. v. 19. & 20. *Spem habemus incedentem usque ad interiora velaminis, ubi Præcursor pro nobis introivit Jesus.* c. 10. v. 19. *Habentes Fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.* art. 10.

Prior Censura damnat Propositiones tanquàm Doctrinæ SS. PP. & Ecclesiæ adversas; Posterior verò tanquàm contrarias Verbo Dei: Ideò adjecerunt Censores suæ novæ Censuræ tria novi Testamenti testimonia, quæ ipsorum Sententiam nihil juvant. Primum istud est, *Vado parare vobis locum*, cui Propositiones articuli præsentis non repugnant. Neque enim assumpta dicitur Maria in Cælum ab ortu suo, ut pararet nobis locum, nec ut locum ibi, & sedem deincèps perennem haberet: Sed ut tànquàm primogenita omnis puræ creaturæ, & tanquàm Regina Angelorum & Hominum Gratijs & Donis à Conceptu suo cumulatissima agnosceretur, & à cæteris omni-

bus tanquàm unica & electa Dei præ cunctis honorificentiùs distingueretur. Quod transitoriè factum notat Author, nec nisi èx prævisis Christi meritis.

Secundum Testimonium est, quod *Spem habemus incedentem ad interiora velaminis, ubi Præcursor pro nobis introivit Iesus.* Id autem Sententiam Ven. Matris minimè convellit; quia non magis Maria dicitur introisse ad interiora velaminis, tanquàm Præcursor pro nobis, quàm dicuntur Angeli pro nobis Præcursores Cælum introisse, licet ante Christum in Empireum admissi sint. Maria pro se utique potuit introire pertranseuntèr ante Christum, non pro nobis, nec ideò Præcursor nostra est, quia tunc non admissa est, ut in æternum maneret, sed ad brevissimum spatium. Porrò non transitoriè, sed perennitèr speramus nos inter Cælites assumendos. Hoc igitur Privilegium trahi non potest in Exemplum.

Tertium Testimonium sic fertur, *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.* Cujus solutio ex dictis patet. Si enim SS. Virgo hâc anticipatâ Assumptione non initiavit nobis viam; quia ut diximus, viam nobis non aperuit, ne cullatenùs pro nobis ascendit: Supereſt, quôd via illa nobis initiata fuerit per Christum. Quæ via, cùm non alia sit, juxta mentem Apostoli, quàm perennis & perfectissimæ Beatudinis aditus & ingressus, via illa nova erat nobis: Nullus enim Hominum, sed nec Maria quidèm ad completam illam Beatitudinem, perpetuamque in Cælis mansionem peruenerat, cùm Christus in Cælum ascendit.

ARTICULUS XV.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Censuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 390. num. 344. *Partus beatissimæ Annæ, eâ puritate nituit, quæ decebat ejus Filiam, cujus puritas redundabat in Matrem. Et quanquàm propterea purificatione non indigeret, satisfecit niholiminùs debito communi Legis, quam exactè complevit. Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æstimata est ab hominibus in Purificatione.*

CENSURA DD. DEPUTATORVM.

Hæc Propositio falsa est, temeraria, & Verbo Dei contraria.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Censura *liberior est, inconsulta, & falsa.*

Undenam enim Propositionis istius articuli falsitatem deduxerunt Censores Delegati? An impossibile fuit Privilegium istud Annæ concedi? Num potuit, ut reverà concessum est, revelari alicui? Cur ergo mendacij reprehendunt sinceriſſimam ac probatiſſimam Virginem, quæ declarat id de facto sibi revelatum? Cùm aliundè non constet Revelationes illius falsas esse, nec Censores motiva credulitatis, quibus veluti vestiuntur intueri voluerint. His nullam fidem esse dandam certè èx hoc capite non evincent. Quod enim dicunt Articulum istum esse contrarium Verbo Dei, falsum est: unius enim Privilegium Legem non tolvit, sed firmat. Lex habet, *mulier quæ concepto semine peperit, immunda erit:* Ab hâc Lege immunem fuisse ex speciali gratiâ Annam quid vetat? Fortè tota Lex hâc solâ immunitate periclitatur.

Hoc verò Privilegium credibile facit Revelatio specialis, & probabile omnimoda puritas Conceptionis SS. Virginis. Lex verò purgationis post partum supponebat Legem concupiscentiæ, & peccati in conceptu, Legem, inquam, concupiscentiæ in Parentibus dominantem, Legem verò originalis peccati conceptum fœtum afficientem. Undè in statu Naturæ puræ nulla immunditia in partu reputata fuisset, quia nulla fuisset concupiscentiæ libido in conceptu. Sed à concupiscentiæ Lege immunem fuisse conceptum SS. Virginis docuit Author c. 15. hujus Libri, consequens erat, ut & ortus à purgationis Lege diceretur paritèr immunis: nec alterum altero magis repugnat, cùm tamèn alterum, scilicet quòd Gratia huic Conceptioni dominata est, non verò concupiscentiâ, assertum à SS. Patribus, & S. Brigitæ revelatum legatur.

Regula quidèm est tradita à Cardinali Bona dè discret. Spir. c. 20. *Quòd majorem animadversionem exigunt illæ Revelationes, quæ dispensationem àb aliquâ Lege continere dicuntur. Licet enim fieri possit, ut Leges Divinæ àb eo, qui illas tradidit mutari possint, ut docet S. Bernardus, & aliquandò reverà mutatæ sunt solutô illorum vinculo; ut cùm ipso præcipiente Egiptij àb Hebræis expoliati sunt, cùm Propheta dixit socio, ut percuteret ipsum, cùm Oseas èx muliere fornicariâ Filios suscepit: Nihilominùs si quid nunc simile privatâ revelatione contingeret, fides illi adhibenda nullomodo foret, nisi clariſſimè quis cognosceret dono discretionis Spirituum, Deum esse, qui loquitur, idque veris & approbatis miraculis tanquàm Divino Testimonio confirmaretur.*

Quæ Regula attendenda maximè esset, si de dispensatione aliquâ in favorem Ven. Matris, vel de violando aliquo Præcepto formali ex vi hujusmodi Revelationis ageretur. Verùm Authorem nostrum quid juvabat, quid spectabat dispensatio? Quæ insuper non pro præsenti aut futuro est, sed à mille septingentis Annis & ampliùs facta refertur; atque ità facta, ut non vio-

lata, ſed magis honorata Lex fuerit, utpotè quæ impleta perhibetur ex Humilitate liberâ,& èx Obedientiâ ultroneâ: Quanquàm non deſint etiam & miracula, & alia motiva hanc aliaſque Revelationes confirmantia, ut poſtulat laudatus Cardinalis. Quæ igitur ſuſpicio èx talis diſpenſationis Revelatione oriri poteſt? quodue ſcandalum, aut damnum? quæ culpa tàm gravis Conceptionem SS. Virginis adeò puram, mundamque exiſtimaſſe, ut indè impura, immundaque facta S. Anna non credatur?

OBSERVATIO.

In Cenſuram ſuppoſititiam S. Facultatis Pariſienſis.

Si quis hanc Cenſuram cum Sententiâ DD. Deputatorum conferre voluerit, inter ipſas nihil prorſùs diſcriminis inveniet.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria. art. 11. Nihil additum eſt Sententiæ Deputatorum circa præſentem articulum, nihil paritèr adjiciam confutationi hujus Cenſuræ. Arbiter erit Lector, an ſufficiens motivum habuerint Cenſores, ad pium Ven. Matris aſſertum tanquàm manifeſtè falſum, atque temerarium, imò & verbo Dei contrarium configendum.

ARTICULUS XVI.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 454. Num. 402. *Ut omnibus modis Mater Miſericordiæ, & Mediatrix Gratiæ foret.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Propoſitio ut jacet falſa eſt; erronea, & Chriſto uni per Redemptionem Mediatori injurioſa.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura ut jacet *falſa eſt, erronea, & hæreticæ pravitatis ſuſpecta.*

Falsa. Quia alieno prorsùs sensu accipitur prædicta Propositio : Nàm si Autographum inspexeris, leges, *In todo*, id est, *in toto*, seu omninò, non verò *omnibus modis*, Virginem autem Beatissimam dici omninò & in toto Matrem Misericordiæ, & Gratiæ Mediatricem, positis præsertim antecedentibus, & consequentibus jam-jam referendis, quid implicat ? Si verò Versionem ipsam Gallicam loci illius integram legere volueris, statim prospicies, quo sensu Deipara dicitur omnibus modis Mater Misericordiæ, & Gratiæ Mediatrix. Sic enim habet loci illius textus, *Etsi dolor internus, quem de peccatis hominum jam tùm conceperat inefabilis Martyrij causâ esset, tamèn in ætate adeò tenerâ & debili primitias corporis sui pœnitentiæ & mortificationi dedicavit, ut modis omnibus Mater Misericordiæ, & Gratiæ Mediatrix esset, nullo momento, actione nullâ, nullâ occasione prætermissâ, quâ Gratiam sibi, nobisque promereri posset.* Quis hæc legens adduci poterit, ut credat, talem huic textui inustam esse Censuram, qualem suprà retuli ? Quid clariùs explicatur, quàm istud omninò, seu omnimodè Mariam Matrem Misericordiæ, & Mediatricem Gratiæ fuisse? scilicet non solum quia peperit Authorem Misericordiæ & Gratiæ : Sed etiam quia oravit pro peccatoribus, quia doluit de peccatis, quia pro obtinendâ sibi, cæterisque Gratiâ Christi, per omnem vitæ cursum seipsam illa obtulit hostiam pœnitentiæ, per Filium suum acceptabilem, quia nullum tempus sibi alijsque merendi perdidit. Quis Catholicorum his omnibus non assentiatur ? Et ubi deprehendetur falsitas, nisi in ipsâmet Censurâ?

Erronea hæc est insuper. Inveniant enim Personam aliam, quæ Misericordiæ Mater dicatur, & aliquo dicatur modo, qui Mariæ non congruat. Idem dicendum de Mediatricis titulo. Sicut enim Christus modis omnibus Author Gratiæ est, sic & SS. illius Mater modis omnibus Mediatrix est Gratiæ, Gratiæ, inquam, Christi, Gratiæ per Christum, Gratiæ non simpliciter promerendæ, sed distribuendæ & applicandæ per ipsius intercessionem, quæ sæpius, & quacunque datâ occasione observavit Author.

Suspecta Hæreseos. Eodem enim Pauli Apostoli textu abutitur Censura, quem detorsit hæretica pravitas adversùs invocationem SS. Virginis, & Sanctorum. *Unus* equidèm *Mediator Dei & Hominum Christus*, nec Maria dicitur hic Mediatrix Dei & hominum, sed Mediatrix Gratiæ per Christum. Ita tamèn Catholicè unus est intelligendus Mediator, quomodo Mediatricem omnibus modis dictam convenit intelligere ; Nimirùm unus Christus est in ordine suo, unus Mediator per Redemptionem, unus quantum ad primum, atque supremum Gratiæ meritum : Ita tamèn unus, ut sint alij Mediatores multi post ipsum, atque per ipsum. Ita Virgo Deipara dicitur Mediatrix Gratiæ omnimodè, id est omnibus modis quibus esse poterat in ordine suo, & tàm perfectè, atque completè, ut non sit Mediatrix altera, quæ aliquo intercesserit modo, qui non competat Deiparæ

Non verò dicitur Mediatrix eo modo, quo Christus, non Mediatrix Redemptionis, sed Intercessionis. Ille verò Titulus magis non officit Dignitati unius Mediatoris supremi, quam cùm Maria dicitur *Gratia plena*, & cùm dicitur, *nos de plenitudine ejus accipere*, id derogare censetur plenitudini Gratiæ, quæ est in Christo, de quâ omnes accepimus.

Etsi hujus loci sensus ille adeò genuinus est, ut legenti se statim ingerat, Legatur præterea Author num. 232. 274. & 290. ubi traditur & explicatur *Mariam Mediatricem esse per Christum, per Incarnationem Christi venturi, propter carnem & sanguinem Christo datum, per preces, & bona opera Christo oblata, per Charitatem operantem in Gratiâ Christi.* Quod pium, tutum, & Catholicum est. Non ita de Censoribus: Hoc enim interest discriminis Authorem devotissimam inter & Censores, quòd illa Matrem Christi omnimodè Mediatricem nostram dicat, illi verò nulmodò Mediatricem illam appellari sustineant, quod hæresim redolet.

Titulum, remque ipsam titulo Mediatricis significatam èx Scriptoribus Ecclesiasticis vindicare facillimum est. Primum laudabo S. Bernardum serm. in sign. magn. *Mirare*, inquit, *Gratiæ Inventricem, Mediatricem salutis, Restauratricem Sæculorum*, & serm. 4. de Assump. *omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, peccator veniam, justus gratiam, tota Trinitas Gloriam.* Et serm. de Nat. *B.* V. *Quia hæc est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Et iterùm serm. in sign. magn. *Et quidem sufficere poterat Christus: sed nobis bonum non erat hominem esse solum, congruum magis, ut reparationi nostræ adesset sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Ita Tertulianus de carne Christ. c. 17. *Ut quod per hujusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in Salutem.*

Similia & Luculenta habentur apud S. Joan. Damascenum pluribi, sed præsertim ser. de Nat. Rupertum pluribi quoque, ut Prol. in Can. S. Ildelphonsum serm. 8. de assump. S. Germanum Constant. Orat. de Zona. Georgium Nicomediensem orat. de oblat. B. Virg. Laurentium Iustini. serm. de Nativ. S. Virg. Arnoldum Carnoten. Tract. de Laudibus Virg. Petrum Damianum serm. 1. de Nativ. apud quos laudantur quoque ad idem propositum SS. Augustinus, Fulgentius, Petrus Chrisologus, Iræneus quoque, & Epiphanius.

S. Ephrem orat. de Virgine, *Per te*, inquit, *reconsiliati sumus Deo, tu captivorum redemptio, tu omnium Salus. Ave Pax, Gaudium, & Salus mundi. Ave Mediatrix glorioſissima.* Richardus à S. Victore cap. 26. in Cantic. *Imo Salus omnium per ipsam facta est, undè & mundi Salus dicta est.* Innocentius tertius serm. 2. de Assump. *Quod damnavit Eva, salvavit Maria.* Dionisius Carthus. lib. de Laud. Virginis vocat eam *Salvatricem Mundi.* Et Sophronius epist. de Assump. *Salutis auctricem.* Illa ipsa tandèm passim occurrunt in Libris Sacrarum Concionum, & in Libris vulgaribus Pietatis, ita ut Fideles omnes hæc cum Fidei elementis didicerint.

Quid ad hæc Cenſores? Unus, & alter palâm in Comitijs Sorbonicis reſponderunt inſanijſſe S. Joan. Damaſcenum, alioſque ſimiles SS. Virginis Zelatores Pietatem, & Doctrinam Catholicam nimijs Mariæ laudibus corrupiſſe. An benè ſentiant, viderint ipſi. Ego malo deſipere cum Sanctiſſimis illis, ac probatiſſimis Viris, quam ſapere cum Cenſoribus noſtris. Illi certè malunt pervolvere, & ſectari Scriptorum Hæterodoxorum, quàm Catholicorum Libros. Undè incredibilis circà Revelationum materiam, & circà laudes, ac prærogativas SS. Virgini ſolitas concedi plurimorum ex Doctoribus hodiernis prodijt hâc in cauſâ inſcitia, atque incuria. Nos Catholicam tenebimus traditionem, & Mariam Eccleſiâ duce vocabimus *Matrem Miſericordæ*, *Matrem divinæ gratiæ*, *Vitam*, *Dulcedinem*, *Spem noſtram*, *Ianuam Cæli*, *Refugium peccatorum*, *Fontem patentem*, *qui culpas ablnit*, *Mediatricem denique*, *& Sequeſtram noſtram perpetuam apud Filium ſuum.*

OBSERVATIO.

In ſuppoſititiam Cenſuram S. Facultatis Pariſienſis.

Lege Cenſuram hanc poſteriorem, & videbis, quid additum ſit priori, & quid ſit diſcrepantiæ inter ipſas.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Licet SS. Virgo præ omnibus Sanctis Mediatrix ſit per interceſſionem: Hæc tamèn Propoſitio quatenùs aſſerit illam eſſe omnibus modis Mediatricem, falſa eſt, erronea, & Chriſto, qui ſolus Redemptor, & Salvator noſter eſt, & unus per Redemdtionem Mediator, injurioſa. art. 12.

Plura ad vindicandum SS. Virgini Mediatricis Titulum ſcripſi, quia duobus in locis hic ſcilicet, & inter Propoſiones articuli ultimi Titulum illum impetebat Deputatorum Sententia. Et quia in Congregationibus Sorbonicis inverecundè impugnatus fuit à nonnullis. Attamèn quia timuerunt plebem, & quia inſtitit Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus, unà cum majori Doctorum numero, Sententiam ſuam temperaverunt, & explicaverunt Cenſores, eamque totam verterunt in miſerabilem æquivocationem, ortam èx infidâ Verſione Gallicâ, quæ *pro toto* habet *omnibus modis*, de quo ſatis ſuprà.

ARTICULUS XVII.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 14. Num. 13. Introduct. *Facies ô puriſſima Pietatis Mater rem tuâ Clementiâ dignam, ſi miſeram de puluere ſubleues, & ſubjectum prorſus debile, & omninò incapax aſſumas in inſtrumentum ad opera adeò difficilia, & ſublimia: quibus exaltabis tuam Gratiam, & Gratias, quas Filius tuus tibi communicavit.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Propoſitio, quæ in SS. Virgine Deiparâ Gratiam admittit diſtinctam, ab illis, quas ei Chriſtus communicauit, falſa eſt, temeraria, & Verbo Dei contraria.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc Cenſura *falſa criminatio eſt, & mera Sicophantia.*

Oculi ipſi ſint judices, an ſcilicet in hoc loco aliqua Gratia dicitur eſſe in SS. Virgine diſtincta à Gratijs illi per Filium ſuum collatis. Ibi quidèm legitur, *exaltabis tuam Gratiam*, ſed omnis Gratia, quæ Mariæ Gratia dicitur, non eſt in Mariâ: ſed ſufficit, quòd à Mariâ procedat. Sicut ſi idipſum diceretur Deo, *exaltabis tuam Gratiam*, non ſignificaretur Gratia, quæ in Deo ſit, ſed Gratia à Deo procedens, & certè omne beneficium vocatur gratia Benefactoris.

Quod autem Ven. Mater per Gratiam Mariæ non ibi intellexerit Gratiam, quæ in Mariâ eſt, ſed Gratiam ſibi à Mariâ collatam, legenti obvium eſt. Illam enim Gratiam innuit Author, quâ de pulvere erectam ſe, & aſſumptam fuiſſe pro inſtrumento ad ſcribendam Hiſtoriam SS. Virginis Deiparæ confitetur. Lineis ſequentibus ipſummet opus Hiſtoriæ SS. Virginis vocat Gratiam, & Beneficium illiuſmet Deiparæ; ita ut ſenſus litteralis, & apertus hujus loci ſit iſte: SS. *Virgo adjuvando me in deſcribendâ Hiſtoriâ divinæ vitæ tuæ exaltabis Gratiam tuam, id eſt Dignationem, quâ me quanvis incapaciſſimam præeligere voluiſti, ut oſtenderes quid quantumve poſſis, & ſimul exaltabis Gratias tibi collatas à Filio tuo, illas mihi, & per me Fidelibus Chriſtianis manifeſtando.*

Si contextum integrum perlegiſſent Cenſores, perſuaſum illis fuiſſet, Authorem

Authorem in Mariâ nullam Gratiam agnoviſſe, quæ non deſcendat à Patre luminum, hæc enim ſunt illius verba. *Loquere Domina mea, audit Ancilla tua, & magnifica Altiſſimum per Miracula, quæ in Humilitate tuâ profundiſſimâ manus ejus operata eſt, tranſeant Dona illa tua de manibus ejus, quæ tornatiles ſunt, & plenæ hyacinthis in manus tuas, & per manus tuas in tuos ſervos diffundantur.* Ex quibus perſpicuum eſt, nullam vel in Mariâ, vel à Mariâ admitti Gratiam, quæ à Deo non procedat.

Verùm quomodò latere Cenſores potuit mens, & genuinus ſenſus Authoris hoc in loco, cùm ubique paſſim doceat illa Mariam nihil eſſe, nihil habere, nihil poſſe, niſi per Filium ſuum. Legatur ſaltem caput. 17. & 18. ubi immaculatæ Conceptionis Gratia, omniaque alia Dona, & Privilegia Mariæ, ad Verbum incarnandum tanquàm ad cauſam efficientem, & finalem referuntur. Non aliud itaque ſupraſcripta Cenſura eſt, quàm puraputà calumnia, cui ſimilis eſt, quæ ſequitur.

OBSERVATIO.

In ſuppoſititiam Cenſuram S. Facultatis Pariſienſis

Arma poſuerunt Cenſores circa præſentem articulum, ſeque primâ ſpecie deceptos confeſſi ſunt: quod ſi in cæteris præſtitiſſent, cùm in pleriſque urgentiores rationes occurrant, totius Orbis ludibrio, & impugnationi jam non ſubjacerent.

ARTICULUS XVIII.

INDICIS PROPOSITIONUM CENSURA Confixarum, & Confutationis Cenſuræ.

PROPOSITIO SUBJECTA CENSURÆ.

PAg. 335. num. 300. *Si Mortales oculos haberent ſatis perſpicaces ad inſpiciendum lumen puriſſimæ Mariæ, faterentur illam ſolam ſufficere illuminandis omnibus Hominibus venientibus in Mundum, iiſque ducendis per vias tutas ad Beatam Æternitatem: & quia omnes, qui pervenerunt ad notitiam Dei, ambulaverunt in lumine hujus S. Civitatis, dicitur à Ioanne, ambulabunt Gentes in lumine ejus.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

Hæc Propoſitio, quatenùs ſoli SS. Deiparæ tribuit, quod ſoli Chriſto

competit, falsa est, scandalosa, erronea, & Christo Salvatori nostro injuriosa.

CENSURA CENSURÆ.

Hæc ipsa Censura *falsa est, calumniosa, erronea, Verbis Christi & Sanctorum contraria, & Virgini Deiparæ injuriosa.*

Falsa & calumniosa. Quia imponit Ven. Matri comparationem inter lumen Christi, & lumen Matris ejus, quasi dixerit illa, lumen Matris sufficere solum per exclusionem luminis Christi: Attamèn manifestum est èx contextu integro, qui subdolè mutilatus atque detruncatus est, Mariam conferri cum Sanctis, non verò cum Filio suo. Hæc enim sunt verba antecedentia, *Si Christus dixit Doctores & Sanctos esse lucem Mundi positam super candelabrum Ecclesiæ; Si Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Doctores, tanto splendore Ecclesiam illustrarunt, ut videatur illa tanquàm Cælum multiplici ornatum Sole: Quid dici potuit de SS. Virgine, cujus splendidissimum lumen longè superat lumen Sanctorum & Doctorum omnium, imò & Angelorum? Si Mortales haberent oculos satis prespicaces* &c. quæ suprà scripta sunt. Indè patet per exceptionem luminis Sanctorum, & nullatenùs Christi, Mariam dici sufficere solam ad illuminandos Homines, quod per auxesim, & amplificationem familiarem inter loquendum & inter laudandum intelligi debet. Quod verò ad Christum spectat, tantùm abest, ut àbsque illius lumine Mundum per Mariam illuminari potuisse cogitaverit Author: quinimò paginâ præcedenti expressis verbis asserit, *Sapientiam Mariæ, Sanctitatem ejus, & Perfectionem operum illius, non aliud Principium, nec alium Arbitrum habere potuisse, quàm ipsummet Iustitiæ Solem, Filium suum Sanctissimum, in ejus Scolâ illam didicisse summam Humilitatem, illamque a Deo edoctam.* & eâdem paginâ supra notatâ habetur, *Mariam discendo hanc Divinam Philosophiam à tali Magistro, tanquàm Discipulam illius, qui Sapientes corripit, factam esse adeò Sapientem, atque Prudentem, ut Evangelista dixerit de eâ, & ambulabunt Gentes in lumine ejus.* Ex quibus patet, Deiparam non alitèr dici sufficientem illuminandis Hominibus, quàm quia per Filium suum illuminata est. Quâ fronte igitùr Censores imponere ausi sunt Authori Sapientissimæ, quòd Mariam cum Filio comparans, id Mariæ soli tribuerit illa, quod soli Christo convenire volunt?

Meminisse saltem eos oportebat, quòd pag. 301. non longè distante, num. 268. legerant, *Mariam nihil esse, quàm Speculum, Filij sui lumen excipiens, & reflectens.* Quòd si Censuram non præcipitassent suam, & expectassent Editionem tertiæ partis, invenissent numero 763. quantùm abfuerit Author. àb æquiparandâ Deiparâ Filio suo, quod creberrimè ei exprobrant. *Christus enim*, inquit illa, *excedit supra modum Dotes Matris suæ: Sed comparanda gloriam magnæ istius Reginæ cum omnibus Sanctis, efferetur illa super omnes; velut inaccessibilis, habetque magnam similitudinem cum Christo.*

Pæterea *Verbis Christi contraria* est hæc Censura. Dixit enim Christus, *Vos estis lux Mundi*, ac proindè soli Christo non competit, ut inquiunt, Mundum illuminare, quanquàm origo, & centrum sit totius luminis. Offendit eos fortè, quòd Author usurpasse visa est ipsis pro Mariâ verba his similia Joan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem Hominem venientem in hunc Mundum.* Quod primò falsum est. Deindè quanquàm ad horum verborum similitudinem attendisset Ven. Mater, non ideò potius objurganda veniret, quàm S. Bernardus, qui ad Mariam hæc transtulit, *Et nos de plenitudine ejus accepimus*; quàm Sapiens Idiota, qui ad eam hæc convertit, *Miseridiâ tuâ plena est Terra*: quàm Arnoldus Carnotensis, & S. Bonaventura, qui hæc ipsi accommodant, *Vt in Nomine ejus omne genu flectatur Cælestium, Terrestrium, & Infernorum.*

Tandèm *injuriosa est SS. Virgini, & Sanctorum dictis*: utpotè quæ Laudes Deiparæ bonâ fide rectoque sensu prædicatas, malâ fide, pravoque ingenio rodere docet, & vellicare. Si enim proscribitur Author propter voculam istam, sola, reprobandus dabitur S. Bernardus, qui serm. de Nativit. ait similiter, *Tolle corpus hoc Solare, quod illuminat Mundum, ubi dies est? Tolle Mariam: quid nisi caligo involuens, & umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur.* S. Basilius Seleuciæ pariter, qui serm. de Annunt. dicit, *SS. Virginem tantùm Sanctos omnes superare splendore, quantùm Sol cætera vincit sydera*: Sol enim ubi lucet, aliorum syderum auxilio non indiget, sed solus sufficit. Ipsa quoque Ecclesia redarguenda est, quæ hæc verba tribuit Virgini, *Pulchra ut Luna, electa ut Sol*: Sol dici, & Luna nocti potest sufficere.

Sed quid ad hæc in Ecclesiâ probata, atque usitatissima, *Quæ Hæreses Sola interemisti in universo Mundo?* Quæ verba èx S. Athanasio serm. de Assump. S. Cyrillo homil. adversùs Nestor. Sophronio serm. de Assump. S. Bernardo in sign. magn. Ruperto lib. 1. in Canti. transumpta sunt. Quid ad istud S. Augustini serm. 18. *Tu es Spes unica peccatorum*, quod Virgini dictum est? Quid ad Decretum S. Facultatis de tuendâ Conceptione immaculatâ dicens *Dei Genitricem unam humani Generis Spem*? An hæc refigenda sunt propter voculas, *Sola*, *una*, & *unica*, quasi his Christus, & Sancti Doctores excludantur? Ità juxta Censorum mentem: quibus si audendi animus esset, ut est obliquè judicandi, preces usu Ecclesiæ sacratissimas, Deiparæ fieri solitas, ipsi vel rescinderent, vel, ut aiunt, recoquerent.

OBSERVATIO

In supposititiam Censuram S. Facultatis Parisiensis.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Hæc Propositio, quæ SS. Deiparæ tribuit, quod soli Verbo competit,

falsa est, scandolosa, & erronea. artic. 13.

Circa hunc articulum unum tantùm Censores rogo, ut quâ mensurâ mensi sunt, sibi nùnc remetiri patiantur. *Declarat*, inquiunt in Præfatione, ut suprà notatum est, *Sacra Facultas se potentiori* SS. *Virginis Intercessioni & Tutelæ præcipuè confidere.* Hæc verò Propositio juxta mensuram Censorum nostrorum est erronea, & impia: Quippecùm omni Jure Divino, & Ecclesiastico definitum sit, præcipuam Spem, & fiduciam in nullâ Creaturâ, sed in Deo, & Homine Deo collocandam esse, & injuriosum sit Redemptori nostro asserere Tutelam SS. Virginis potentiorem esse quâvis àliâ, cui confidere possimus. Inciderunt igitùr Censores in foveam, quam fecerunt.

Indè ut se erigant & expediant, respondebunt, repetendum esse altiùs hujus Propositionis sensum, & ex verbis præcedentibus manifestum esse, se nullam ibi Mariæ cum Christo, sed cum Sanctis tantummodò comparationem instituisse: quod quidèm verum esse fateor. Sed nunquid hæc ipsa responsio est, quam suprà attuli? Nunquid ità clarum & perspicuum est ex verbis proximè articulum istum antecedentibus Authorem comparasse Mariam ibi cum Sanctis tantùm, & nullatenùs cum Christo. Absolvant igitùr Authorem, vel ipsâ suâ Censurâ damnati maneant.

ARTICVLVS VLTIMVS.

INDICIS, ET CONFUTATIONIS.

SErvatam hucusque Methodum defero prolixitatis nimiæ vitandæ causâ; non minùs enim quàm triginta sex Propositiones articulus iste complectitur: quibus adjectæ sunt octo in postremo Censuræ supposititicæ articulo, totidem demptis ex primo Indice, ut jam explicabitur. Inclinarunt scilicet ex hoc calice in istum, & tantùm abest, ut vini eorum, quod verè *fel Draconum* est, fœx eninanita sit, quin & magis excrevit & efferbuit. Singula brevitèr sunt discutienda, juxta novum ordinem Censuræ supposititicæ S. Facultatis quæ coincidit cum Sententiâ DD. Deputatorum, & ijsdem prorsùs terminis effertur.

Observandum primò venit DD. Deputatos sequentes septem Propositiones, tanquàm *temerarias*, &c. in Indiculo suo notasse. Prima est, quòd *Maria Virgo à Conceptu suo Vsum rationis habuerit.* Secunda, quòd *simùl habitus scientiarum infusos acceperit.* Tertia quòd *Angelos & Homines jam tùnc noverit.* Quarta, quòd *humillimas Gratias in sinu Matris rependerit.* Quinta, quòd *de lapsu primi Hominis, & de Posterorum ejus peccatis ibidem doluerit.* Sexta, quòd *tunc cœperit pro Genere humano præstolari, & Mediatricis mu-*

nus obire, adventum Messiæ exorando. Septima, quòd *Angelos suos Custodes agnoverit.* Cùm autem circa istas Propositiones recantarint Deputati, easque piæ Fidelium opinioni integras dimittat Censura, à Confutatione primæ Deputatorum Sententiæ abstinebo. Legantur si libuerit, quæ de usu rationis concesso S. Joanni in utero Matris suæ scripserunt Ambrosius lib. 1. in Luc. & dè instit. Virg. & lib. 2. dè Virg. & lib. 4. de Fide ad Grati. c. 4. S. Hieronimus epist. 7. ad Lætam. S. Leo Papa serm. 10. de Nativit. S. P. Chrisologus serm. 88. Beda homil. de Visit. Concilium Basileense Sess. 43. Et èx Græcis Origenes hom. 4. in Luc. & homil. 2. & 7. èx varijs S. J. Chrisostomus hom. 1. in Luc. Theophilactus paritèr in Lucam. S. Cyrillus Hierosol. catech. 3. Nicephorus lib. 1. histor. c. 8. Simeon Metaphrastes &c. Et dè eodem Privilegio eminentiùs dato SS. Virgini consulantur; si visum fuerit Lectori S. Bernardinus Senensis, Caetanus, Suarez, alijque innumeri Theologiæ scholasticæ, sive Mysticæ Scriptores, cum Concionatoribus, in quorum omnium ore, & scriptis prænotatæ Propositiones natant. Nunc ad Propositiones quas recens Censura exihibet, ac damnat.

Prima Propositio exscripta est èx pag. 139. num. 121. Secunda verò èx pag. 140. num. eodem. Ambæ damnatæ, quia ferunt, *Luciferum & Angelos ejus totis quibus Deus Mundum condebat diebus deliberasse dè machinationibus moliendis adversus Verbum incarnandum & ejus Matrem, atque in primo suo ad inferros ingressu statim conciliabulum iniisse.* Quod quàm sapientèr, quàm cohærentèr proposito suo, & principijs Doctrinæ suæ descripserit Author, facile est æstimare. Primò èx eo quòd docuit suprà manifestatum fuisse Angelis omnibus Verbum humanam assumpturum esse Naturam, hancque supra Angelicam in Verbo fore extollendam, indeque ortam perduellium Angelorum invidiam & seditionem. Secundò èx eo quòd explicat illa appositè & fortè clariùs & meliùs, quàm fuerit unquam expositum caput 12. Apocalipsis, in quo factum prælium magnum in Cælo, & eventus prælij refertur. Porrò si aliqua occurit difficultas in hac parte Historiæ à Ven. Matre scriptæ, oritur hæc ex ipsâ Scripturâ, quam unà cum Libro Authoris, ludibrio impiorum tradunt hic Censores. Nunquid enim tàm repugnat credulitati humanæ, quòd prælium magnum datum sit in Cælo inter Angelos, quàm quòd Angeli perduelles concilium aliquod inierint? Angeli dimicant alij adversus alios, & qui in eâdem parte stant insimùl convenire non possunt? Nunquid ad conjurationem faciendam aliqua deliberatio & aliqua sollicitatio præirè potuit? Quomodò Draco de Cælo caudâ suâ traxisset tertiam partem Stellarum, si Angelos suos non concitasset ad rebellionem?

Deindè quid Fidei Catholicæ consentaneum magis, quàm Dæmones statim à suâ dè Cælo dejectione, irâ atque invidiâ adversùs homines exarsisse; Struendas ipsis insidias, atque bellum in Mundo, qui condebatur inferendum Deo, & præsertim Homini Deo sibi manifestato præmeditatos esse: Consilia insupèr Divina rimari voluisse, & èx ijs, quæ sibi revelata fuerant, alia quæ sibi erant abscondita conjectasse. Hæc forsitan omnia àbsque ullâ delibera-

tione inter se habitâ, & àbsque mutuis consilijs tentarunt? An existimant consilium suum non communicasse consortibus suis antiquum Serpentem, quandò seduxit Evam? Aut Dæmones nullâ collatione habitâ universum Orbem dominationi suæ subegisse? Non convenerant fortè adversùs Jesum Dominum, sivè pro detegendâ ejus Divinitate, sivè pro ejus infamatione & morte promovendâ, sivè pro evertendo Redemptionis humanæ Opere? Non indicaverat cæteris, qui tentavit Dominum in deserto, nec ad ipsos quid egisset retulit? An nugas effutiebat Dominus ipse, cùm dixit, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, nunc Iudicium est Mundi, & Princeps hujus Mundi ejicietur foras?* O Sapientissima Capita! Bellum Deo, & Christo, atque Hominibus inferre permittitur Dæmonibus, & non datur ipsis, ut conventus faciant, & dè consiliis, dolis, ac molitionibus suis deliberent? Non habent fortè suam inter se colloquendi rationem? Aut forsàn immensam habent, & non econtrà arctatam intelligendi vim, ut omnia videant, singulique percipiant omnes aliorum omnium cogitationes? Quod nec Angelis datum est.

Sed nunquid delirabat Michæas Propheta, sicut deliram traducunt Ven. Matrem de Agreda, quandò ait, Reg. 3. 22. *Vidi Dominum sedentem super solium, & Exercitum ei assistentem à dextris, & à sinistris, & ait Dominus, quis decipiet Acab? & dixit unus verba hujusmodi, & alius aliter. Egressus est autèm Spiritus, & stetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum, cui Dominus, in quo? & ille ait, egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum* &c. Hæc conferas, quæsò, cum illis quæ hoc in articulo damnantur. Dæmones in Concilium, cui Deus ipse præest advocantur, & Concilia sua, quibus Draco præest, non permittuntur agere? Job paritèr aliud simile describit, cap. 1. *Quadam autèm die*, inquit, *cùm venissent Filij Dei, ut assisterent coram. Domino, adfuit inter eos etiam Sathan, cui dixit Dominus, undè venis? cui respondit, circuivi Terram* &c. Qui tanquàm dæmonum Princeps in Concilium Divinum admittebatur, ut factorum rationem redderet, & licentiam atque modum Homines tentandi acciperet, non convocare potuit unquam Angelos suos, ut eis mandata divina significaret? Sed & Angeli boni illuminantur atque mittuntur alij ab alijs: Talis non potest esse in Inferis subordinatio?

Quot conventicula Diabolica Authores Ecclesiastici, & præsertim vitæ spiritualis & monasticæ Descriptores commemorant. Nugæ & fabulæ, inquiunt Censores nostri, quæ ad hoc propositum narrantur. Pro nugis igitùr & fabulis habentur Dæmonum tentationes, & adversùs salutem humani Generis machinationes. Si enim quæ Scriptura, quæ SS. Patres de his docent, vera sunt, aliquomodò & fiunt, & fieri concipi possunt. Non alius verò excogitabilis est modus convenientior Scripturæ Sacræ, & Scriptoribus Ecclesiasticis, quàm quem Ven. Mater describit. Ergo & Dæmones esse & saluti hominum insidiari non credit, qui talia in facetias & cavillationes vertit. Et si iocandum esset, an putas non congregatos Dæ-

mones ad deliberandum, quatenùs Comitia ſorbonica Superius delineata, ſuas in partes adverſus SS. Virginem traherent? An non præſtituta fuerunt præmia ijs, qui Factioſos facerent, accenderent, excæcarent, atque in ore eorum ſpiritus mendacij eſſe poſſent. Si impuros Sagarum, & Magorum conventus deſcripſiſſet Author, id minimè carperent: quia Dæmonum conventicula commemoravit, reprobatur.

Propoſitio tertia ex pag. 154. num. 136. habet *Evam ſimillimam fuiſſe* SS. *Virgini in ſpecie, & in modis agendi*: Ubi quid abſonum eſt, & temerarium? Qua ratione primus Adam ad imaginem ſecundi, ità efformatus dicitur, ut quandocunque limus exprimebatur, cogitaretur Chriſtus in carne futurus, ut ait Tertulianus: undè multam inter utrumque ſimilitudinem fuiſſe SS. Patres exiſtimant. Cur pari ratione prima Eva non potuit pulchritudine & ſpecie ſuâ ſecundam Evam referre, cujus figura erat? An Author noſtra prima omnium eſt, quæ ſimilitudinem multam inter utramque Evam, præſertim in Donis naturæ, & Dotibus Juſtitiæ primitivæ excogitarit. Nihil tàm ſuadere poteſt Librum hunc irreprehenſibilem eſſe, quàm tales Propoſitiones cenſoriâ virgulâ confixas legere.

Propoſitio quarta ex pag. 152. num. 134. ejuſdem planè rationis eſt. Damnant in eâ Cenſores, quòd *Chriſtus, & Deipara dicuntur duo exemplaria, èx quibus univerſum Genus humanum deſcriptum eſt: & quòd cùm hæc perfectiorem Dei ſimilitudinem referrent juxta iſtorum normam omnes Homines ad imaginem Dei conditi ſunt.* Verùm id tàm impiè, tàmque inſcitè improbatur, quàm prudenter & piè aſſeritur. An negant Cenſores probabiliter, teneri, quòd Chriſtus, & Mater ipſius prædefiniti, atque prædeſtinati ſunt ante univerſum Genus humanum? An hoc primo conceſſo, negant, quod vi hujus prædifinitionis atque prædeſtinationis Chriſtus, qui ratione Perſonæ Imago Dei erat inviſibilis, debuerit quoque ratione Humanitatis eſſe viſibilis imagno Dei perfectiſſima? & paritèr quòd Maria maximam cum Deo Authore ſuo, & cum Filio Similitudinem habuerit? An S. Auguſtinus Mariam *Deo propinquiſſimam, & formam Dei* non appellavit? Numnè S. Sabbas Librum de Mariâ formâ Dei edidit? An non à S. Bernardo *Lucidiſſimum Divinitatis Speculum* eſſe Virgo dicitur? Nunquid tandèm illud Philoſophi receptiſſimum eſt in ſcholis, *Quod in unoquoque Genere primum, & perfectiſſimum eſt, menſura, & exemplar eſt cæterorum*? Ex his verò evidenter ſequitur, quòd Chriſtus & Mater ipſius, utpotè priores definiti, & longè cæteris perfectiores, potuerunt eſſe inter Ideas tanquàm abſolutiſſima ſimilitudinis Divinæ Exemplaria, ad quæ Deus reſpexerit, cùm Adamum & Evam, & èx illis Genus humanum mente condidit. Porrò hæ quatuor Propoſitiones S. Facultatis Pariſienſis judicio nunquàm ſubjectæ ſuerunt, nec in notas eis affixas illa unquàm conſenſiſſet: Sed pro libito Syndici, aut alterius Cenſoris ignoti placito ſine ullâ Authoritate inſertæ ſunt præſenti articulo.

Propoſitio quinta eadem eſt, quæ in articulo 7. ſuprà pag. 43. fuit vindicata.

Propoſitio ſexta ex pag. 204. num 185. excerpta eſt. Nihil eſt in eâ quod notetur, niſi quòd *S. Anna non indicavit S. Ioachimo Filiam ipſorum Mariam in Matrem Dei præelectam eſſe, illudque Myſterium beatiſſimo huic Viro extremos inter Spiritus, ſive in mortis articulo fuiſſe revelatum.* Verùm quo fundamento aſſertum hujuſmodi vellicant Cenſores? Quia inquiunt, id abſque ullo fundamento aſſertum eſt. An non igitùr ſufficiens fundamentum præbet Revelatio ſpecialis, eaque diù, multùmque probata, ad aſſerendam rem, quæ nec Fidei, nec Rationi repugnat? Revelationum cauſam nolle ſe inveſtigare ſæpiùs declararunt Cenſores, nec expendere, utrum bonæ, an malæ & Suppoſititiæ Revelationis notas Liber, & author gererent: ſed de Doctrinâ tantum ex principijs Doctrinæ Catholicæ judicare. Oſtendant igitur, quid in iſtâ Propoſitione repugnat Fidei, atque Doctrinæ Catholicæ. Acutiores enim haud dubiè oculos habent; ſed tales opinor, quos invidia non veritas acuit, quoſque ſola carpendi libido ludificatur. Hæc Propoſitio de numero illarum eſt, quæ præter Facultatis notitiam huic Cenſuræ ſubſtratæ ſunt.

Has ſequuntur quinque propoſitiones de Angelis, quibus aliæ octo paritèr Angelos ſpectantes adjungendæ ſunt: horum poſteriorum prima eſt ordine vigeſima tertia in ultimâ Cenſurâ, cui aliæ concatenatæ ſunt. In his verò reprehendendum exiſtimarunt. Primò quòd *Mille Angelos ad præſtanda Maria obſequia frequentiſſima delegatos fuiſſe enarrat Author.* Secundò quòd *illos officijs & ornamentis varijs diſtinctos fuiſſe aſſerit.* Tertiò quod *Mariam Infantem in Cœlum evexerint.* Quartò quod *illi ad inſtar Iuvenum pulcherimæ formæ ſeipſos Mariæ videndos interdùm exibuerint.* Quæ omnia temerè, & abſque ullâ ratione Theologicâ confixerunt Cenſores: Cùm econtrà Doctrinæ & menti SS. Patrum & piarum animarum, quarum Opiniones probatæ inveniuntur, hæc ſint conſentanea.

Primo quidèm hæc eſt inter Viros pios, & inprimis Contemplationi deditos receptiſſima Sententia, non unum tantummodò Cuſtodem Angelum fuiſſe SS. Virgini deſtinatum, ſed plures. Audi S. Bernardum in ſerm. qui inſcribitur *Laus Mariæ. In circuitu* (Mariæ) inquit, *acies validas ſpiritualium Virtutum ſuo ſe invicem ordine tuentium, Sed & innumerabilium Sanctorum Spirituum militiam delegatam, nullatenùs ambigimus, ut Cuſtodirent lectulum Salomonis gratiſſimum, ac providerent, nè præparatum æterno Regi hoſpitium alienus hoſpes invaderet.* Mille Angelos ad Mariam deſtinatos dici non ſubſtinent Cenſores, & S. Bernardus tàm ſuo, quàm Sapientum, atque piorum ſui ævi nomine nullatenùs ambigendùm putat, quin acies integræ Cæleſtium Virtutum, & innumerabilium Angelorum chori circumfuſi Mariam ſtipaverint.

Non minori fiduciâ S. Anſelmus ait lib. de excell. Virg. c. 3. *Nulli dubium eſt caſtiſſimum corpus & SS. animam ejus àb omni fuiſſe maculâ peccati jugi Angelorum cuſtodiâ protectum, utpotè aulam quam ſuus & omnium Creator Deus erat corporaliter in habitaturus. Nam inter omnes obtinuit uſus, cùm*

Præpotens

Præpotens aliquis, & Perſona dives aliquò vadit hoſpitaturus, ut Clientes præcurrant, & locum præparent &c.

Rupertus in c. 8. Cantic. Cenſet ſexaginta lectiſſimos cubilis Salomonis cuſtodes exhibere in figurâ Angelos ad cuſtodiam perennem Mariæ delectos: Et ut alios omittam, S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. A. 3. T. 2. *adfuit Virgini*, inquit, *Angelorum protectio: aſſidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum. Piè etenim credo, quòd plurimas habuit Legiones Angelorum ad cuſtodiam ſuam, cùm & Eliſæus, ut legitur* 4. *Reg.* 6. *Angelorum multitudinem habuit ad ſui defenſionem.* Ex hâc frequenti Angelorum cuſtodiâ, tanquàm èx concauſâ repetunt multi Theologi omnimodam Mariæ impeccantiam. Quid nunc Cenſores ? Hæc ipſis minimè ſapiunt ; quia ſcilicet carnales ſunt, & Religionem in diſputatione, non in contemplatione probarunt. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei:* Sed noverint ipſi, alijque omnes Theologi merè Scholaſtici, ipſorum non eſſe dè Theologiâ Myſticâ, & dè operibus ad vitam contemplativam pertinentibus judicare, niſi quandò deprehenduntur Fidei, Moribus, & Doctrinæ Chriſtianæ repugnare. Nihil autem ſimile in Libro iſto huc uſque poſt tàm anxias inquiſitiones invenire potuerunt.

Quôd Angeli illi ſæpius ſe viſibiles exhibuerint SS. Virgini, & cum eâ Cæleſtem egerint converſationem, èx tot Patrum, atque Authorum Sententiâ colligitur, ut ſatis mirari non poſſim Cenſorum noſtrorum Audaciam id rejicientium tanquàm temerarium & fabuloſum. Hoc S. Hieronimus laudatus à S. Bonaventurâ lib. 6. medit. vitæ Chriſti c. 3. Hoc S. Ambroſiùs lib. 2. de Virg. Hoc Laurentius Juſtinianus. Hoc Author Libri de ortu Virg. Hoc ſuprà laudati Patres, ubi de numero Angelorum Mariam ambientium quæſtio erat. Hoc Georgius Archiep. Nicom. orat. dè Præſent. Virginis. Hoc Cedrenus in compen. Hiſto. Hoc Suarez, alijque innumeri tradiderunt.

Quomodò turbari potuit, inquiunt, SS. Virgo ad Gabrielis conſpectum, ſi Angelorum converſatione frequentèr utebatur ? Miror adhuc magis, quòd SS. Patrum, & ipſius D. Thomæ reſponſionem Cenſores ignorarint: Iſte 3. p. q. 30. a 3. ad 3. *Quidam tamèn dicunt*, inquit, *quòd cum Beata Virgo aſſueta eſſet viſionibus Angelorum non turbata fuit in viſione Angeli, ſed in admiratione eorum, quæ ab Angelo dicebantur: undè & Evangeliſta non dicit, quod turbata fuit in viſione Angeli, ſed in ſermone ejus.* Quibus poſtremis verbis oſtendit Angelicus Doctor ſe huic Opinioni ſuffragari. Similitèr S. Ambroſius, *Gabriel eam ubi reviſere ſolebat invenit, & Angelum Maria quaſi viri ſpecie mota trepidavit, quaſi non incognitum audito nomine recognovit, ità peregrinata eſt in viro, quæ non peregrinata eſt in Angelo.* Indè patet quoque, quàm inconſultè Cenſores hanc damnarunt Propoſitionem, quòd *Gabriel fuit apud Mariam à legationibus*, & quòd *pluriès ei Myſteria Divina denuntiavit.*

Turbata eſt, inquit, Laurentibus Juſtin. ſerm. de Annunt. *Non èx Angelico*

aſpectu quaſi inſolito, quippe quæ jugiter viſitabatur àb Angelis, ſed ob excellentiam divini præſagij, quod propria merita ſuperare videbatur. Ità Simon Caſſianus. Ità Græcus Anonimus in catena D. Thomæ, aliique hujus loci Interpretes. Quapropter iſtud Privilegium converſationis Angelicæ refertur Artic. 8. Methodi ſerviendi SS. Virgini novæ editionis ad inſtitutionem Juventutis totius Regni directæ, & à Sorbonicis Doctoribus recèns approbatæ.

Jam quid ad diverſa officia Angelorum iſtorum? Quid ad ornatus varios, *ad palmas, ad coronas, ad clypeos, ad teſſeras*, aliaque hujuſmodi, quibus illos ab invicem diſtinctos fuiſſe aſſerit Author, quandò apparebant SS. Virgini, quæ omnia irridenda tradunt Populo Cenſores tanquam deliramenta? Fateantur illi primùm, & admittant vel inviti probabilitatem apparitionum Angelorum SS. Virgini creberrimè exhibitarum; talium verò apparitionum modum ab Authore adumbratum facillimè vindicabo. Enimverò de Miniſterij Angelorum perfectione eſt, ut varietate ſimul & ordine præcellat. Vndè Eccleſia in Angelorum Feſtis Deum laudat, quòd *Angelorum Miniſteria miro ordine diſpoſuerit.* Si ergò magna Angelorum copia obſequijs SS. Virginis, utpotè Reginæ ſuæ ac Dominæ Mundi volens, & gaudens mancipata eſt, oportuit eos in ſuis officijs ordinatiſſimâ varietate diſtingui. Id poſtulabat quoque Dignitas Mariæ, quæ cùm dejectiſſimæ inter Mortales conditionis videretur, quia Hominibus ignota erat, debuit Cæleſtes Spiritus, qui eam noſſent, Miniſtros habere; eoſque tali ratione inſtitutos, atque ordinatos, quæ Cæli & Terræ Dominam magis deceret: cùm ſimile quid videamus in hujus Mundi Reginis, quarum tamèn Dignitas tantoperè diſtat à Gloriæ culmine, in quo SS. Virgo poſita eſt.

Deindè ſi videndos ſe dabant frequentèr Angeli illi ſub aliquâ ſpecie, ac formâ ſenſibili, eâque pro varietate Miniſterij diverſâ, quid convenientius, conſultiuſque potuit excogitari, quàm quòd de vario eorum ornatu Author tradidit. Quid Cenſores dicerent, ſi hæc Angelos depinxiſſet, ut Daniel c. 10? *Vidi*, inquit iſte, *& ecce Vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obriſo, & corpus ejus quaſi Chryſolitus, & facies ejus velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, quæ deorsùm ſunt uſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis.* Quot aliæ apparitiones Angelorum deſcribuntur in Scripturis Sacris à vulgari ſenſu remotioribus, quàm ſint illæ, quas deſcripſit Author. Non ideò inferri velim, apparitiones traditas à Ven. Matre eandem fidem promereri, ac illæ quas Scriptura Sacra exhibet: Sed illarum, & iſtarum mutua comparatio probabilitatem magnam conciliare debet ijs, quæ à Ven. Matre èx Revelatione ſpeciali traditæ ſunt.

Repugnat, inquiunt, (nullam enim difficultatem diſſimulare cupio) repugnat quàm maximè tàm multa, tamque mira obſequia àb Angelis præſtita fuiſſe SS. Virgini âb ortu ſuo, & antequàm Matris Dignitatem adepta eſſet. Solutionem ſuppeditat S. P. Chryſologus ſerm. 142. in hæc verba *Nè timeas Maria. Ante cauſam*, inquit, *Dignitas Virginis annuntiatur ex no-*

mine; nam Maria hebræo ſermone Domina nuncupatur: quam naſci & vocari Dominam ipſa ſui Germinis fecit authoritas. Fateor itaque omnem Mariæ Dignitatem a Prole pendere; Sed cum ille qui Filius ejus fieri voluit, Deus eſſet, antequàm naſceretur Homo, dedit futuræ Matri ſuæ, ut Domina Mundi, & Angelorum Hominumque Regina naſceretur, & ut ſub his titulis ab Angelis ſtatim ab ortu ſuo agnoſceretur. Quod quidèm omninò cohæret cum probabiliſſimis principijs, quæ poſuit, & ſemper ſecuta eſt Author: quæ Cenſores non ſatis attendentes ſæpius lapſi ſunt, ſcilicet quòd ante omnes Creaturas decreta fuit ac prædeſtinata à Deo, ut eſſet Mater Filij ſui, quòd vi iſtius prædeſtinationis primogenita omnis puræ Creaturæ facta eſt, Sponſaque Dei prælecta, & Angelorum atque Hominum, qui non niſi poſt ipſam decreti fuerunt, Regina. Indè enim manifeſtè ſequitur, quòd hæc ad inſtar cæterarum Adæ filiarum ſine ullo honoris titulo naſci non debuit, ſed tanquàm Angelorum Hominumque Regina. Et ſanè ſi Conceptionis immaculatæ Gratiam, aliaque Dona innumera Deus ei contulit, antequam Mater Dei fieret, quanvis hæc fuerint collata, quia Mater Dei eſſe debabat; Cur paritèr antequàm Mater Dei fieret non potuit honoribus, & privilegijs ſibi, ut Dei primogenitæ, & primæ Sponſæ Dei, & Angelorũ Reginæ debitis utcunque gaudere?

De raptu illius in Cælum, quæ dicta ſunt vide ſupra Art. 14. Quod verò *Angelus induerit formam Virginei corpuſculi* per modicum temporis ſpatium, quo traſitoriè rapta narratur in Cælum SS. Virgo poſt ortum atque natale ſuum; non adeò inſolens atque abſonum videri debet. De pluribus Sanctis referunt Hiſtoriæ probatæ, quod ſimul conſtituti in pluribus locis viſi fuerint, & ſpecialis hæc præſentiæ localis multiplicatio legitur in vitâ S. Antonij Paduani, & S. Franciſci Xaverij: atque id Deo poſſibile fatentur Philoſophi veteres. Congruentius tamen plerique exiſtimant: tunc non conſtitui unum idemque corpus in pluribus locis, ſed Angelum aliquem veſtiri ſpecie corporis, atque in altero loco id operari, quod præſtaret Sanctus ibidem duplicatâ præſentiâ poſitus. Simile quid narratur ſæpe de Demonibus: nempe quòd varias infantium, virorum, mulierum ſpecies ſibi induant ad ludificationes & tentationes. Ut ut ſit, quid Fidei, boniſque moribus repugnat, hâc in circunſtantiâ Virginei raptus in Cælum? An non potuit Omnipotens ſtuporem, atque dolorem S. Annæ prævertere? Sed jocando quærunt, an mamillas ſuxerit Angelus? An crepundia amiſerit? Meminerint Angeli, qui ſocium ſe junxit Tobiæ, & qui tandem Perſonam aſſumptam deponens, dixit *Videbar vobiſcum manducare & bibere* &c. Notandum inſupèr ne quid verecundum Angelo cogitetur; Annam perhiberi actam quaſi in ecſtaſim, quandiu raptus Infantis ſuæ duravit, qui quidem breviſſimus fuiſſe traditur. Hæc denique ſi cum tam multis ſimilibus comparentur, quæ pietas atque prudentia Chriſtiana in Libris tàm multis tolleravit, imò & ſæpè approbavit, An non leviora judicabuntur, quæ tàm gravem à tàm celebri Facultate Cenſuram ferant.

Omittere non poſſum Propoſitionem èx quâ Deputatorum Ingenium dignoſci poterit. Referunt tanquàm dictum ab Authore pijſſimâ Angelos, quo-

tiès ſe ſpectabiles præbebant SS. Virgini ſpeciem adoleſcentis eximiæ formæ, & illecebroſæ pulchritudinis induiſſe, ut ſicut in Articulo octavo, cogitari liceat, quidquid tàm impium quam obſcœnum in mentẽ viris corruptis venerit. Quod eo magis abominandum eſt: quòd in ipſam Virginem omnimodè immaculatam infandæ hujuſmodi ſuſpiciones caderent. Reticuerunt verò licet admoniti, quòd caſtiſſima & prudentiſſima Mater de Agreda ibidem ſcilicet pag. 414. num. 362. dicit, *Aſſumptas ab Angelis ſpecies puriſſimas eſſe, nec terreſtres atque carnales, ſed ad inſtar Cryſtalli mundiſſimæ lucis cæleſtis radijs coruſcare, velut beata, atque in Cælum aſſumpta corpora. Tali pulchritudini adjunctam inſupèr eſſe nobiliſſimam gravitatem, ſummam modeſtiam, Majeſtatem quoque atque ſeveritatem, ſuavitate temperatam, omnemque ornatum talem videri, qui conſpectui non tactui ſubeſſe poſſet ad inſtar radiorum Solis.* Turpiſſimum & portentoſum eſt, hæc eſſe prætermiſſa, ut vel cum pudoris SS. Virginis diſpendio Author in crimen violati pudoris traheretur. Nefarium iſtud conſilium omnes exhorreſcunt, & vel propter hoc unum Cenſura ultricibus flammis tradenda eſſet.

Quo levioris ſunt momenti reliquæ Propoſitines eo magis Cenſuræ immanitatem produnt. Duodecima Propoſitio eſt, quòd *prima SS. Virginis Conceptio die Dominicâ facta eſt.* Decima tertia, quòd *non per octoginta, ſed per ſeptem dies perfecta fuit.* Decima quarta, quòd *ſecunda Conceptio ſive animatio contigit die Sabbati.* Decima quinta, quòd *dies ille feſtivus fuit Deo, & omni Creaturæ.* O exquiſitiſſima Cenſuræ materies! O dignæ quæ celeberrimam totius Orbis Facultatem occuparent Propoſitiones! Nunquid ante Authorem noſtram Lobbetius qq. Evangel. T. 3. Menſem Conceptionis Mariæ, diemque Menſis, imò & hebdomadæ decrevit? ac pariter Euſebius Nieremb. l. de Concep. c. 3. Et ante illos B. Amadeus, & Galatinus, alijque multi. An non magis potuit Author denuntiare diem hujus Conceptionis ex ſpeciali Revelatione? Nondùm enim conſtat Revelationem hujuſmodi faſam eſſe, nec Propoſitiones ut revelatæ damnantur, ſed ut Propoſitiones ſcilicet ex parte materiæ. Quòd autem corpuſculum Virginis non octoginta dierum lapſu, ſed intra ſeptem dies formatum fuerit, eo probabilius videtur, quòd Authores graviſſimi illud eodèm tempore animatum fuiſſe exiſtimant, quo primùm conceptum eſt, quod ultimum majus eſt Miraculum. Sic Philippus Malla Doctor Pariſienſis An. 1488. Jacobus Granadus lib. de Concep. Poſa lib. 3. t. 2. c. 4. Galatinus lib. 7. c. 8. S. Brigitta lib. 6. c. 55. Ambroſius Catharinus de Concep. Bernardus Aldaretes, Joannes Bapt. Novatus, Lobbetiùs, & Euſebius Nierembergius.

Quod autem dies Conceptionis SS. Virginis fuit Deo dies Paſchatis & Gaudij, atque cunctæ Creaturæ; juxta morem Patriæ locuta eſt Ven. Mater: familiare enim eſt Hiſpanis, ut dies maximo gaudio ſelemnis dies Paſchatis vocitetur. Si *gaudium eſt in Cælo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, qualis quantaque ibi fuit lætitia, cum primùm in Mundo orta eſt, quæ caput, & princeps erat omnis puræ Creaturæ, initium viarum Domini,

ſcilicet per unionem hypoſtaticam Deo non unitarum, æterni conſilij opus, ad quod omnia Sæcula ſuſpirabant, principium ſui & gaudij Generis humani, utpotè prædeſtinata Mater Salvatoris. Et ſanè Eccleſia canit *Conceptiò tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit univerſo Mundo.* Quidni Cælo talè gaudium peperit Conceptio Reginæ Angelorum, & primogenitæ Dei inter meras creaturas, quòd juſtam dederit occaſionem uſurpationi vocis Paſchatis jam uſu Linguæ Hiſpanicæ ad ſimilia ſolitæ traduci?

Propoſitio Decima ſexta eadem eſt cum art. 9. de quo ſupra pag. 47.

Vide jam quanti momenti ſunt errores, quos in quatuor ſequentibus Propoſitionibus notant Cenſores. Nimirum quòd *exiguitatem corpuſculi SS. Virginis recèns concepti ad inſtar apis* fuiſſe dicit Author. Quòd *in Gratiarum actione corpuſculum SS. Virgo uſu rationis jam donata inclinaverit*, quantum uteri Materni pati poterant anguſtiæ. Quòd *Angelos ſuos Cuſtodes in ſinu Matris cognoverit, & amicè ſuſceperit.* Quod *uſque ad lachrimas jam tum doluerit de peccatis.* Norunt quòtquot contemplationi Arcanorum Divinorum dediti ſunt, quàm neceſſarium ſit interdum refugum animum in aliquâ ſpecie ſenſibili figere, ut indè cætera faciliùs ſcrutetur. Cùm igitùr Author internam SS. Virginis in ſinu materno Religionem vellet deſcribere. Ideamnè potuit parvitatis ejus corpuſculi aptiorem dare, quàm ex apiculæ exiguitate. Voluiſſent forſitàn Cenſores corpuſculum iſtud ad inſtar Elephantinæ molis deſcribi. Qui in ſectione & cognitione corporis humani periti ſunt, hanc comparationem acceptiſſimam habent. Quoad alia, ſi exultavit præ gaudio Infans in utero Eliſabeth, cur inclinari non potuit fœtus rationis uſu informatus in ſinu Annæ? Si collidebantur pueri in utero Rebeccæ, cur corpuſculum Mariæ alicujus motus capax non fuit? Et ſi animatus fœtus doloris non ſit expers, poſſitque ex doloris vi humor ab oculis fluere, ut fatentur Atonomici: Cur Maria ſui compos, & animo dolens de peccatis hominum intra viſcera Matris ſuæ lacrimulas emittere non potuit? Quandò verò de Angelis àb eâ tunc cognitis, ſuſceptiſque blaterant, obliti ſunt ſe Propoſitionibus ſuprà initio Articuli deſcriptis de anticipato rationis perfectiſſimæ uſu parcere ſibi propoſuiſſe, adeò ſibi non conſtat præconcepta invidia.

Quod rurſùs & magis manifeſtum ſit èx Cenſurâ ſequentis Propoſitionis vigeſimæ primæ. Quid enim conſultiùs cogitari potuit, poſito rationis perfectiſſimæ uſu jàm memorato, quàm *SS. Virginem in ecſtaſim actam, atque in ſenſuum abſtractione fuiſſe, cùm naſceretur, ut partus anguſtias non perciperet.*

Quâ notâ potuerunt hanc Propoſitionem refigere? Mirari debuerunt ingenium Authoris pijſſimæ, quæ omnibus proſpexit, & humillima quævis ac difficilia miris exquiſitiſſimiſque circunſtantijs extulit, & ornavit; quamplures quidèm ante illam affinitatem inter Chriſti & Mariæ Nativitatem, & habitationem in maternis viſceribus eſſe dixerant: Nullus verò hucuſque tàm aptis miriſque circunſtantijs utranque, & ſimilem, & diverſam deſcripſerat.

Propoſitio vigeſima ſecunda, quâ fertur *Nativitatem SS. Virginis Pa-*

tribus Lymbi annuntiatam fuisse. Legitur apud P. Poirè lib. de triplici coronâ T. 1. pag. 143. & revelata perhibetur S. Brigittæ l. 6. c. 56. ubi Maria sic inducitur loquens de Natali suo. *Amici verò Dei, qui in longâ erant expectatione dicebant inspirante eis Deo, cur amplius dolemus? gaudendum potius est nobis, quia nata est lux, quâ illuminabuntur tenebræ nostræ, & desiderium nostrum perficietur. Angeli verò Dei gaudebant dicentes, quia natum est in Terris* &c. Propositio illa infertur insuper èx piâ illâ SS. Patrum, & Ecclesiæ totius Opinione, quæ tenet, *Diem natalem Mariæ, natalem fuisse letitiæ,* atque *hanc Nativitatem gaudium annuntiasse universo Mundo*, Indèque Lymbum simul, ac Cælum gaudio impletum fuisse.

Sex postremæ Propositiones ab illâ Opinione pendent, utrum anima SS. Virginis infantiæ tenebris, & impedimentis involuta fuerit, ut communis fert hominum Sors! An soluta, ut non de Christo solum, sed etiam de Joanne Bapt. traditur? Hoc ultimum tenuit Author, An propterea damnanda sit à Censoribus, qui Opinionem alteram minùs piè sequuntur Lector judicet. Enimverò si infantiæ impedimenta nescivit, & à Spiritu Sancto edocta fuit, *potuit & loqui antequam à Matre suâ informaretur, & silere usque ad tempus, quo infantes loqui incipiunt*, ad Dona Dei, & Privilegia sibi concessa occultanda: quod humilitatis genus Christus infans exhibuit, ac proindè *meritorium esse potuit ejus silentium.* Quod quidem in infantibus, non tàm èx linguæ, quàm èx animæ impedimentis, atque èx non usu, & èx vacuitate Facultatis imaginativæ fit necessarium. Quidni *circiter tertium Annum agens, humilitatis opera conditioni suæ congrua sectari* non *potuit, & paupertatem in vestitu suo ambire*? Cùm virtutes illæ in ipsius animâ jam tum altiùs atque eminentiùs insiderent, quam SS. Hominum ullus eas vel in vitæ fine obtinuerit.

En Propositiones hujus Articuli ultimi, quas Censura Suppositicia ita configit.

CENSURA SUPPOSITITIA.

Hæ omnes Propositiones respectivè temerariæ sunt, & contra Ecclesiasticæ Regulæ Modestiam assertæ; pleraque fabulas & somnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam impiorum & hæreticorum contemptui exponunt.

Cùm autem nihil eorum omiserint Censores, quæ rodere se posse existimarunt adjiciunt pro Censurâ absolvendâ.

Cæterùm non intendit Sacra Facultas alia multa, quæ in dicto Libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca in quibus Sacræ Scripturæ testimonijs ad privatum sensum Author passim abutitur, nec ea in quibus Opiniones merè Scholasticas a Deo revelatas asserit, & ut tales omnibus proponit.

Quænam sunt obsecro illa Scripturæ loca? non alia certè hâc in primâ parte occurrunt, quàm caput 8. Proverbiorum, suprà in Artic. 13. SS. Virgini vindicatum, & quatuor Apocalipsis capita, quorum expositionem Doctorum nullus, imò Virorum doctissimorum nemo leget hoc in Libro sine summâ admiratione, & quin aliquid divinitùs inspiratum ibi suboretur. Opiniones

Scholaſticas quod ſpectat, aliquas hujuſmodi ſub ſpecialem & privatam revelationem cadere poſſe, illæſâ Opinionum contrariarum probabilitate fuſè, & invictè demonſtravit Ximenez Samaniego Epiſc. Placentiæ, in Prologo galeato, & notis Operi Ven. Matris de Agreda adjectis.

OBSERVATIONES, ET NOTÆ.
In Præfationem Cenſuræ ſuppoſititiæ.

Obſervationes iſtæ ad calcem hujus Opuſculi rejectæ ſunt, nè idem repetere ſæpiùs neceſſe foret, atque ut èx præcedentibus notis iſtarum veritas breviùs, ac perſpicaciùs dignoſceretur.

Congregationes 32. hâc in cauſâ habitas Præfatio Cenſuræ commemorat: His ſi Comitia Generalia Menſis Maij, & Menſis Julij, in quibus de unâ hâc cauſâ actum eſt, addideris, 34. ſeſſiones in Præfationæ noſtrâ notatas habebis. Ac cur tot Congregationibus opus fuit, ſi verum eſt, quod objicit Præfatio Mulierem illam, quæ texuit hiſtoriam vitæ SS. Virginis ad portentum uſqu exceſſiſſe, & aberraſſe? Quo Fato factum eſt, ut ad primam tot exceſſuum, atque errorum lectionem omnes Magiſtri pari excandeſcentes zelo in Librum hujuſmodi anathema non dixerit? Si ſana, pia, & æqua fuiſſet Deputatorum Sententia, profectò tantum operæ & temporis terere noluiſſet Facultas integra, ut actum ageret.

In his centum quinquaginta duo Magiſtri reverà *dixerunt*, ut fert Præfatio: Sed addi oportuit, nè unius quidem èx tàm multis Doctoribus Sententiæ (ſi Suffragia, prout palàm & pro Cœtu recitata ſunt expendantur) Cenſuram inveniri conformem, quod ſuprà in hujus Opuſculi Præfatione notatum eſt. Undè contigit, quòd cùm publicè legeretur, non quæſitum eſt, an placeret Comitijs? & nemine tunc ei ſuffragante, pluresècontra obſtiterunt, & duo omni exceptione majores, quibus poſteà adjunxit ſe D. Mortier, Scripto publico interceſſerunt: Nemoque jam Cenſuram illam pro fœtu ſuo agnoſcit, ſed alius in alium ſe exonerat. De Magiſtrorum numero gloriari non debuit Author, quiſquis ille ſit; cùm illi centum quinquaginta duo Doctores non fuerint unius labij, & multò plures Sententiam Deputatorum, quàm Librum damnarint: nulluſque eorum Cenſuram prout jacet cum Præfactione probaverit.

Sacra Facultas, inquiunt, *Honoris Deiparæ vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenùs, & quâlibet occaſione datâ præſtituram ſe ſpondet.* Ut quid igitùr ſub Facultatis Theologiæ Pariſienſis nomine hujus Libri Cenſura vulgatur; taliſque Cenſura, quæ pleraſque pias de SS. Virgine Opiniones, & Revelationes, atque Scripturæ Sacræ interpretationes, in honorem illius vergentes, quantumlibet à SS. Patribus, & à probatis Authoribus uſurpatas, confodit?

Vis audire Sacram Facultatem Pariſienſem Oraculo proprio, & non Factionis impiæ organo, mentem ſuam, atque ingenium ſuum declarantem: Attende animo ad ea, quæ ſequuntur. excerpta èx Decreto ipſius Facultatis

de Conceptione immaculatâ defendendâ, dato 3. die Martij An 1696. *Cùm multas Majores nostri fortissimi, & florentissimi Catholicæ Fidei Milites nascentes varijs temporibus hæreses, nullis unquàm laboribus, nullis periculis deterriti, sacris suis disputationibus oppressérint; in illos tamèn errores, qui immaculatæ, & glorioſissimæ Dei Genitricis Laudem & Dignitatem violare visi sunt, peculiari quodam & sancto pefectoque odio vehementiùs insurgendum, acriùsque sibi pugnandum semper judicarunt: quandoquidèm eam contumeliam ad Dominum nostrum Iesum Christum maximè pertinere arbitrabantur. Quod enim Ecclesiastes c. 3. de Patre scribit, de Matre quoque verissimum est. Nè glorieris, inquit, in contumeliâ Patris tui, non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis est honor Patris, & dedecus Filij Pater sine honore.* Et infra ad Pastores animarum sermonem convertens. *Per Iesu Christi Domini nostri Misericordiæ viscera, ejusque Matris intemeratæ Virginis Charitatem obtestamur nostris imò potiùs Divæ Mariæ hostibus resistite, vestris eos finibus abigite, & multatos expellite: Vt religiosa Populi Christiani in glorioſissimam Dei Genitricem unam humani Generis Spem Devotio, Pietas, & Charitas in dies magis ac magis foveatur, augeatur, accendatur* &c. Viden animum celeberrimæ Facultatis erga pias Fidelium de SS. Virgine Opiniones? Viden quomodò eos pro hostibus habeat, qui majoris Deiparæ cultus hostes se præstant?

Non sunt certè Factioſi nostri *de semine Virorum illorum, per quos salus in Israël facta est*, cùm Devotionem, Pietatem, & Charitatem Fidelium erga Dei Matrem, non fovere, sed confodere, non augere sed opprimere, non accendere, sed extinguere totis viribus enitantur: non aliud expostulantes, quàm quòd nimium tribuitur SS. Virgini, nimisque laudis & honoris ei impenditur. Si Majorum suorum zelo simile est ipsorum studium, cur turpissimum, erroribusque scatentem Librum D. Baillet adversùs SS. Virginem examinari, atque damnari à Sacrâ Facultate non sinunt? omnem scilicet zelum suum adversùs Librum, quo non alius in Mariæ gloriam profusior editus est, insumpserunt.

Sentire se, aiunt, *unà cum veteri Liturgiâ Gallicanâ, Mariam in Cælum post mortem cum corpore & animâ fuisse translatam.* At ut sentiant cum Liturgiâ debuit primùm ipsa Liturgia sentire. O Viros cautissimos, qui quem amiserunt sensum communem rebus inanimatis tribuunt! Num insupèr primus omnium Mabilionius Liturgiam hanc publicis litteris consignavit, ut eam laudent editam à Mabilionio, quasi ante eum ignota prorsùs extiterit, quæ tamèn à Merbesio vulgata fuit? An non alijs nititur fundamentis Assumptionis Dogma, quàm hâc veteri Liturgiâ? Facillimum est introspicere eos tàm ægerè de Conceptione & de Assumptione Virginis Deiparæ, quàm jejunè disseruisse.

Immoderatum, superstitioſum, commentitium Virginis cultum, inquiunt, *planè non admittit Sacra Facultas.* Talemnè cultum edocet Venerabilis Mater de Agreda? An novos illa ritus, nova sacra, novasque orandi formas invehit?

invehit ? Aliud certè est, novam erga Deiparam Religionem inducere, quod nefas est ; Aliud Dogmatibus Fidei Deiparam spectantibus pias, Fideique consentaneas Opiniones, atque Revelationes, receptum SS. Virginis cultum nullatenùs immutantes proponere: Quod ultimum in SS. Brigittâ, & Gertrude, atque in Theologis celeberrimis approbavit, atque laudavit Ecclesia.

Rectè autem ad propositum, aiunt, *addit idem Epiphanius, posterius Dogma eorum, qui Virginis Dignitatem præter modum attollunt, vix alios Authores, & Patronos habere quàm Mulieres.* O pravæ fidei Homines ! Quid Epiphanio hâc in parte, & Mariæ de Agreda? Hæresim exagitat Epiphanius. An dè aliqua hæresi nunc controvertitur? Tria in hæresi quam eô locô impetit, animadvertenda existimat Sanctus ille Doctor. Primum quòd Mulieres sibi assumerent Sacerdotium. Inauditum infandumque sacrilegium cùm in veteri, tùm in novâ Lege ! Secundum, quòd Sacrificia SS. Virgini ritu Ethnico ipsæ litarent. Tertium, quòd Deiparam tanquàm Deam colerent. An simile occurrit aliquid in Libro proposito ? An Sacerdotem agit alicubi pissima Author? An Mariam tanquàm Deam Sacrificijs & oblatis adorandam docuit? An Moniales suas ad tale Sacerdotium unxit ? Quid igitur tàm rectè ad propositum èx Epiphanio ? Imò quæ nequitia, Authorem planè Catholicam cum hæreticis in eandem damnationem miscere ?

Mirum enim est, addunt illi, *quantùm hoc in genere excesserit, & aberraverit Mulier illa, quæ Historiam texuit vitæ beatissimæ Virginis.* At non mirum tantùm, sed & quam maximè stupendum est, quantùm Censores excesserint ipsi, & aberrarint in propositionibus malâ fide describendis, & in sensu prorsùs alieno configendis, nec non in pluribus damnandis, propter quas totius Orbis Christiani Censuram in se non possunt non convertisse. Si tàm absona, quàm inaudita erant, quæ hoc in Libro habentur; Cur tàm absonâ quàm inauditâ Censuram edendi ratione opus fuit, ut ad ejus condemnationem pervenirent ? Cur præclusa defensionis via ? Quare intercepta suffragandi libertas? Quomodò major nihilominùs pars adversùs Dpeutatos stetit ? Quomodò tot Congregationibus causa indiguit ? Quare facta est adversus Censuram solemnis interces sio ?

Verùm mirari omnes volo fidem, & æquitatem eorum, qui Duces hujus Censuræ fuerunt. Spoponderant illi, ut eos quorum intererat continerent, se nullam mentionem facturos de Authore, nullamque injuriam pissimæ Abbatissæ de Agreda, aut ejus Autographis Hispanicis illaturos; Sed Versionem tantummodò Gallicam, prout jacet in editione Massilienst in Censuram adducturos: eâque ratione omnem Authoris, & Exemplarium Hispanicorum notitiam, & commendationem sibi sæpius oblatam rejecerunt, palam profitentes, vel in medijs Sorbonæ Comitijs, sibi nihil esse cum Authore, nec cum editione Hispanicâ Linguâ primùm vulgatâ. Quò tendebat illorum Vafrities tandem patuit in Præfatione hâc, atque in istâ primi Articuli Censurâ, ubi non Interpretem Gallum, sed Authorem Hispanam impetunt.

Mirum enim, inquiunt, *quantum excesserit & aberraverit Mulier illa &c.* Constat tamèn èx prænotatis Interpretem sæpè à genuino Authoris sensu aberrasse, sæpiusque Censores ipsos in scrutando, & reprobando cùm Authoris, tùm Interpretis sensu excidisse : quaproptèr nemo non eos pro contumeliâ illatâ pijssimæ, Arisque proximæ Virgini de Agreda ad mulctam honorariam addicet ?

Si non intendit Author illudere, inquiunt, *ipsa profectò manifestè illuditur.* Ex opposito, si non illusi sunt Censores, profectò manifestè intenderunt Orbi Christiano illudere. Ubi enim sunt errores, quorum Authorem insimulant ? ubi fabulæ ? ubi nugæ ? Nisi sint illi de numero Theologorum horum de quibus Gersonius ait T. 1. P. 177. *Quòd omnis de Religione sermo illis fabula, vel onus est, & quòd Revelationem quantlibet ad se deductam cum grandi cachino, & indignatione rejiciunt & accusant.* Denique cur Revelationibus Ven. Matris obloquuntur, cùm illas nullatenus, ut Revelationes juxta regulas Patrum examinare sustinuerint, sed tantummodò èx parte materiæ ? Ex hâc verò parte nihil erroneum, nihil temerarium, nihil non Fidei Catholicæ, rectæ rationi, Sanctorumque Scriptis consonum esse fusè & invictè demonstratum est.

Superest quidèm, ut dè ijs èx parte formæ, sive ut Revelationes sunt, judicetur. Verùm si èx hâc parte Librum istum noluerint examinare Censores, quod centies & ampliùs palàm declararunt, Undè asserunt tàm manifestum esse, quòd vel Author illudere voluit, vel ipsa illusa est ? Noluit certè illudere, quia probatissimæ fuit Sanctitatis dùm viveret, estque in dies Miraculis indubitatis clarior ; Sed nec eo usque illudere potuit, sicut nec eo usque illudi, ut invictè ostendunt Episcopus Diocesanus Civitatis de Agreda in approbatione hujus Operis, alijque sive Episcopi, sive aliundè illustrissimi gravissimique approbatores ejusdem, atque fusiùs celeberrimus Ximenes Samaniego supra laudatus Episcopus Placentiæ, eruditione ac Sanctitatis Famâ conspicuus in Prologo galateo eidem Operi affixo, nec non in doctissimis notis eidem adjectis, in quibus non invenerunt Censores, quod corroderent.

CONCLUSIO
Opusculi.

Sufficiunt proposito nostro, quæ hucusque tùm de rei gestæ serie, tùm dè Censuræ vitijs obitèr scripta sunt, quæ si æquâ Lance librentur, Judicium istud doctrinale ità elevabunt, ut nullam èx Conditionibus ad verum Judicium efformandum desiderandis in hoc inveniri manifestum maneat. Has porrò Conditiones recensere, & ad eas vitia Censuræ hujus revocare pro præsentis Opusculi coronide non ingratum erit fortè, nec inutile.

Meminerit itaque Lector sex desiderari Conditiones ad quodlibet Judicium publicum, maximè autem ad Censuram èx celebri Facultate manan-

tem. Prima eſt ſufficiens cauſæ Notitia. Secunda, legitima Authoritas. Tertia Libertas integra. Quarta, ordinata procedendi Ratio. Quinta, Veritas in decernendo. Sexta, in notandis delictis Æquitas.

Prima ſcilicet ſufficiens cauſæ Notitia deſideratur in ſuppoſititiâ Cenſurâ S. Facultatis Pariſienſis, tùm quia ſublati ſunt atque occultati Libri, ne legere poſſent Doctores idem illud Opus, de quo Sententia ſibi ferenda erat, quod reverà non legiſſe, nec proindè examinaſſe ultrò palamque faſſus eſt D. Magiſt. Camin, alijque plures Deputatorum ſuffragatores; tùm quia nulla quæſita, quin nec ſuſcepta eſt hoc in Iudicio vitæ & mortis, miraculorum, aliarumque rerum Authorem, authographumque ſpectantium notitia, ſine quâ dè Cauſâ Revelationum in Libro contentarum non potuit rectum Judicium informari: tùm quia non ſunt vocati, ſed nec admiſſi, quorum intererat Librum defendere, atque in primis duo Doctores Pariſienſes, qui Maſſiliæ Librum hunc calculis ſuis, & approbationibus munierunt, quos accerſiri & audiri, Leges Facultatis jubebant.

Secunda Conditio in eâdem Cenſurâ deeſt, ſcilicet legitima Authoritas, hæc enim in Facultate Theologicâ Pariſienſi ſtat penès majorem numerum. At contra majorem numerum omnia Cenſuram iſtam ſpectantia attentata ſunt, ut ſuprà in Præfatione narratum eſt, ipſaque Cenſura prout evulgata eſt, nedum majorem numerum, qui huic repugnavit ſemper, ſed nec unum quidem Doctorem habet, qui ipſius Authorem ſe gerat: Undè hæc tanquàm Cenſura ſuppoſititia palàm ab omnibus traducitur.

Quoad tertiam Conditionem pertinet, ne umbra quidèm Libertatis appareat in toto hoc Judicio. Nulla Species integritatis in deliberando ſervata eſt. Via facti ab initio inducta, clauſaque via Juris. Implorata præproperè, & ante omnem Sententiam Magiſtratus Authoritas ad tollenda Exemplaria. Doctorum alij acti in exilium; alij à Comitijs Facultatis ejecti: alij ne ſecundum Conſcientiam ſuffragarentur deterriti: alij inter dicendum vexati: alijque & ferè omnes ne intercederent, & appellarent ad Superius aliquod Tribunal minis graviſſimis, certoque metu & terrore revocati.

Quænam verò procedendi ratio ſervata eſt pro quartâ Conditione? Quæ non in toto proceſſu violata Lex? Delegantur ſuſpecti Cenſores. Ex quatuor Deputatis tres ſaluis Facultatis, imò & æquitatis Legibus delegari non poterant. Non Pater Chauſſemer, quia Dominicanus, ac proindè adverſa pars, nemo autem Judex eſſe debet in propriâ cauſâ. Non D. du Sauſoy, quia non aderat Comitijs, Leges enim Facultatis abſentes delegari non ſinunt. Non D. Rolland, quia Remenſis Eccleſiæ, ſive Capituli Præpoſitus eſt. Vetant autem ejuſdem Facultatis Decreta, nè ulla munia, nec ullæ partes ijs demandentur, qui Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica aſſiduæ commorationi obnoxia extra Regiam Civitatem ſunt conſecuti. Præterea tres illi Deputati adverſante majori Doctorum ſuffragantium numero nominati ſunt. Major enim pars delegerat D. le Carron, qui tumultuoſè rejectus eſt à Factioſis, *quia metuebant eum*, utpotè quem Virum juſtum & Sanctum

ſciebant, atque ab omni partium ſtudio alienum. Nominaverat pariter ex Regularibus unum Victorinum, nulli parti addictum. Quæ vero juſtitiæ & æquitatis ſpes & umbra; quandò actores ſunt judices, & cùm delegatio ad Examen Libri, quæ tanti momenti eſt, decernitur Viris ſuſpectis contra mentem atque Suffragia ſanioris atque majoris Partis Magiſtrorum. Inſuper Syndicus ab initio ad finem uſque cauſæ, non ut Arbiter, ſed tanquàm Factionis Dux acerrimus loquitur, agit, totamque Suffragiorum rationem ſuſque dèque vertit. Appellatio ad Summum Pontificem crimini datur. Appellatio altera ad ſupremum Senatum Pariſienſem per DD. Dumas, Dufleau, & Mortier interpoſita contemptui habetur. Cenſura tandem evulgatur nomine Facultatis Theologiæ Pariſienſis, inconſultâ & reclamante ipſâ Facultate. Quid boni & integri ex tali ratione procedendi elici poteſt?

Veritatem denique in ſingulis Cenſuræ Articulis læſam, violataſque in totâ actionis ſerie primigenias Æquitatis Leges ſatis ſuperque demonſtravi. Expectandum eſt S. Sedis Apoſtolicæ de cauſâ hujus Libri Judicium: Nam ſi Cenſura ſuppoſititia Facultatis Theologiæ Pariſienſis temere illud potuit antevertere, illud tamen nec impedire poterit, nec ſubuertere. Cui S. Sedi me ipſum cum univerſis quæ ſuprà ſcripta ſunt omninò & ſemper ſubjectum eſſe volo.

FINIS.

7627504
25 JY19